DE

NICOLAO MUSETO

(GALLICE : Colin Muset)

FRANCOGALLICO CARMINUM SCRIPTORE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

Joseph BÉDIER

PARIS
ÉMILE BOUILLON, LIBRAIRE-ÉDITEUR
67, rue Richelieu, 67

1893

394

DE

NICOLAO MUSETO

MACON, PROTAT FRERES, IMPRIMEURS

DE

NICOLAO MUSETO

(Gallice : Colin Muset)

FRANCOGALLICO CARMINUM SCRIPTORE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

Joseph BÉDIER

PARIS

ÉMILE BOUILLON, LIBRAIRE-ÉDITEUR

67, rue Richelieu, 67

—

1893

DOCTISSIMO VIRO ET BENEVOLENTISSIMO

G. PERROT

MEMORIS ANIMI MUNUSCULUM

D. D. D.

J. Bédier

CAPUT PRIMUM

Quid sibi tractandum proposuerit hujusce opusculi auctor.

Haud illepide dixit recentior medii aevi poeseos aestimator : « Plerumque accidit ut stylo non scriptor modo, sed homo totus significetur et nudetur. Si tamen decem medii aevi lyricos inter se contuleris, non homines decem agnosces, sed lyricum unum[1]. » Quod faceti hominis nec non fastidiosi judicium judicia fere omnium communia in breve cogit et et complectitur. Quippe de nostratibus medii aevi carminum scriptoribus eruditi omnes fere ad unum idem sentiunt : scilicet poetas istos, inter se germanissimos, indiscreta quadam cognatione vultum eumdem, eamdem speciem retulisse; neque lac lacti, neque ovum ovo similius. Nempe omnes eosdem communes locos recantavere, quos ipsos, ad excogitandum hebetes, ex alienis hortulis — scilicet ex Aquitania, — furati sunt. Imo, si recentissimo eidemque eximio critico credas, « frigidissima putidissimaque opera Provincialium imitati sunt, orta scilicet dogmatibus istis reconditis quibus vena vel maxime jugis aresceret, imitatique sunt ea minimo consilio, aemulatione servili, rudi tironum imperitia[2]. »

Cui judicio, summatim aequo, iniquo tamen si rem accuratius recognoveris, non plane assentimur.

1. Cf. L. Passy, *Biblioth. de l'Ecole des Chartes*, t. XX, p. 1 : « Le style, a dit Buffon, c'est l'homme même. Prenez dix trouvères lyriques : vous ne trouverez pas dix hommes, mais un seul trouvère. »

2. Cf. Jeanroy, *de nostratibus medii aevi poetis* p. 116.

Etenim materiam ille non exhausit qui planum manifestumque fecit francogallicam poesim a Provincia originem duxisse : quandoquidem eam non vanae cuidam imagini vel inani simulacro aequiparare possis, quod extenuatos Aquitaniae poeseos colores replicet, sed vivaci potius propagini, qua stirps antiqua in novos fetus reviviscat. Illa scilicet pulchritudinis forma a Provincialibus primum concepta, nobile illud dicendi amandique genus non ea die evanuit qua Ligerim transvolavit. Imo, generosum poetarum proventum etiamtunc seminare poterat, et revera seminavit.

Illi autem poetae certa similitudine inter se consociantur : nec mirum, cum ex iisdem fontibus hauserint, idemque pulchri exemplar sectati sint. Atqui non indiscretius inter se permiscentur quam, in qualibet regione, lyrici unius ejusdemque temporis ; nec facilius Ronsardum a Joachimo Bellaio, Auratum a Thyardo discerneres : facies non omnibus diversa, non una tamen, qualem solet esse aequalium poetarum. Communia autem de Amore argumenta unusquisque, diversis modis interpretatus, diverse amplificavit : suus cuique singularis habitus ; sua cuique genuina vis ; suum cuique, suapte natura vigens, ingenium.

Quam tamen opinionem neque ego manifesto probare possem, neque tu manifesto redargueres. Manca enim atque inchoata ad hodiernam diem remansit nostra veterum lyricorum cognitio : neque ea multo quam nos habes notiora.

Ecquis enim nostrum veteres istos poetas non ignorat ? Quid ? cum duo millia centum et triginta poemata nobis tradita fuerint, e quibus vix mille adhuc sint edita [1]. Quo autem pacto plerumque edita ? Sive apud, Germanos, servili et odiosa

1. Tot carmina recensuit G. Raynaud, *Bibliographie des chansonniers français*.

unius codicis transcriptione [1], sive, apud nos, ridicula indiligentia[2]. Hoc tamen deterius : scilicet, rarissime curatum est ut omnia ejusdem poetae carmina in unum cogerentur, et inter centum duo et quinquaginta lyricos, vix duodecim reperias quorum opera, tibi unius libri paginas evolventi, legere liceret. Ægre enim, si aliquot Schelerii, Fathii et Brakelmanii editiones exceperis, quinque vel sex tertii decimi saeculi lyricos enumerare possis, Adamum *de la Hale*, Iohannem *Bretel*, Iohannem *Moniot*, quorum omnia quae supersunt opera glomerare et edere dignati sint eruditi. Nihil nobis in promptu, nihil prae manu positum nisi collectanea quaedam caeco casu nullo discrimine congesta, quibus diversa diversorum auctorum carmina promiscue sicut fors obtulerit e codicibus libata, componuntur. Librum a Maetznerio [3] collectum replica : carmen Gualteri *de Dargies* primum occurrit. Paginam volve : secundum statim offendes a *Gace Brulé* compositum, tertium a vicedomino Carnutum, quartum a Petro *de Molaines*, quintum a Conone Bethuniensi, sextum a duce Brabantino ; hic Hugonis de Bregi cantionem habes ; hic Mauritii Credonensis carmen ; nonum Jacobus *de Cison*, decimum scripsit Radulphus comes Suessionensis. Decem poemata, decem simul poetae ante tuos oculos successerunt. Quae cum ita sint, an ulla unquam, quaeso, tam praepollens poetarum schola exstitit, quae, adeo invia et inaccessa, studentem odio non obtundat, taedio non enecet ? Hoc tibi finge animo : Si forte cuidam gallicos duodevicesimi saeculi elegorum scriptores aestimanti nullum studiorum instrumentum suppeditet nisi quoddam spicilegium, quod

1. Confer Wackernagel, *Altfr. Lieder;* Keller, *Romvart;* Brakelmann, *Archiv für d. Stud. der. n. Spr. u. Litt.* t. XLIII-V, etc...
2. Confer Tarbé, *Les Poètes de Champagne antérieurs à l'an 1500.*
3. Mätzner, *Altfr. Lieder.*

carmen unum a *Parny* compositum referat, unum a *Bertin*, unum a *Gresset*, unum a *Colardeau*, unum a *Grécourt*, unum a *Malfilâtre*, unum a *Boufflers*, nonne similem paremque vultum referent isti, cognati quidem, diversi tamen poetae ? Ut exempla pauca, sed mea quidem sententia gravia, conferam, e duo et triginta carminibus quae nobis ab eximio poeta Guilhelmo *le Vinier* tradita sunt, septem aut octo solus Brakelmannius edidit; et ita edidit ut ea commodius libentiusque in ipso Bernensi codice legeres. Theobaldi Campaniae comitis, quanquam celeberrimi totius scholae poetae, nulla exstat editio quae meram mediocritatem non redoleat. Johannis Erardi quinque et vinginti carmina, Petri *d'Angecourt* triginta et unum, *Moniot* Atrebatensis quinque et quinquaginta exstitere : quae quis unquam legit? Quis fuit Iohannes ille Erardus? Quis Petrus *d'Angecourt*? Quis *Moniot* Atrebatensis? Sunt nomina, praetereaque nihil.

Itaque (cum, hodierna die, studiosissimorum eruditorum munere, qui codices omnes nuper descripserunt[1], via tandem nobis facilior munitur) ineluctabili modo instat ut medii aevi lyricorum editiones quam plurimae in lucem proferantur. Instat ut, in unaquaque editione, stricto philologorum more discernamus quae carmina merito, quae immerito huic atque illi auctori adscripta sint, quo tempore, in qua regione unusquisque poeta vixerit. Instat ut monumentum a Paulino Paris exactum substruamus[2]. Quod munus Nicoloo Museto, cujus carmina ad hanc diem usque inedita jure haberi possunt[3], pro viribus meis praestiti.

1. G. Raynaud, *Bibliographie des chansonniers français*. — Schwan, *die afz. Liederhandschriften, 1885*.

2. *Histoire littéraire de la France*, t. XXIII.

3. Nostri quidem poetae carmina jam typis mandavit P. Tarbé (*Chansonniers de Champagne, 1850*). De quo sic sensit A. Jeanroy : « Nullius

Quippe, nisi fallor, ubi copiam editionum in promptu habebimus, nostra de priscis lyricis judicia necessario aequiorem in modum deflectentur.

Quae tamen, fatemur, nunquam funditus evertentur. Primum enim plura de re quam tractandam pro virili parte suscepimus ignoramus et ignorabimus : quot carmina suppresso auctoris nomine tradita sunt, quorum semper auctor celabitur! Quot poetarum nihil superest exceptis triginta aut quinquaginta versibus, quos saeculorum injuria nobis non invidit! Quot poetarum latet vita et latebit! Quae indiciorum paucitas!

Imo non infitiandum est istorum poematum majorem partem parum significare. Nam praeterquam quod totius medii aevi hoc vitium est poeseos ut proprios poetarum sensus propriis verbis quam rarissime indicet, hoc non satis animadverterunt eruditi : scilicet nostrates lyricos non tam *poetarum*, quam *musicorum* laudem appetivisse. Quod vividum in modum expressit Folco Massiliensis : « Qualis aquaria mola sine aqua, talis stropha sine musicae modis. » Ille idem carminum scriptor qui in versibus scribendis eadem argumenta sine ullo delectu crebro usurpet, quasi dictata decantet et aliena scrinia impudenter compilet, rhythmum contra melosque uniuscujusque carminis adeo distinguit ut, in sexaginta quae exstiterunt poematis, Theobaldus, Navarrae rex, rhythmicam stropharum conformationem sexagies variaverit. Melos in mancipio

prorsus pretii sunt farragines a Tarbé editae » (*de nostr. poet.* p. 97). Sic autem J. Brakelmann, *Chans* : « Cette édition (de Blondel de Nesle) ne le cède en rien aux autres publications de M. Tarbé. C'est la même absence de critique, de méthode, de tout travail consciencieux, le même manque de l'érudition philologique nécessaire. Aussi, l'opinion n'étant plus à se former sur les travaux de M. Tarbé, je ne croirais même pas faire œuvre utile en relevant et en réfutant les erreurs qu'on rencontre à chaque page de cette publication. »

illius permanet a quo primum fuit excogitatum. Melos res est propria inventori adscripta, privatum repertoris dominium, quod furari, imo mutuari nefas. Si quis forte stropham a quovis alio poeta formatam usurpaverit, necesse est ut mutuationem expresse profiteatur [1]. Quid tum inde? Scilicet haud raro erramus cum istis poematis tam seduliter studemus quae ipsi auctores pro nihilo fortasse duxerunt vel flocci non fecerunt. Melos illis maximi ponderis erat et momenti, versus autem minimi. Haud aliter nostris temporibus evenit, cum praestantissimi musici pessimorum versificatorum ineptiis eximios modos aptant, et stolidis versibus nobile melos maculant et quasi polluunt.

Attamen, quo frequentiores lyricorum editiones typis mandabuntur, eo lucidius illustrabitur, singularibus lineamentis et coloribus distincta, peculiaribus signis discriminata, aliquot poetarum facies. Animi sui secreta avare retexerunt? Fateor equidem. Pauca de se dixerunt? Nonnihil tamen fere omnes, et quidam multa.

1. Sic, ut notavit G. Paris, cuidam Jacobi Cameracensis carmini (Mere, douce creature...) in bernensi codice inscriptum est : « *ou chant de la glaie mëure* » ; scilicet, ut P. Meyer animadvertit, Jacobus Cameracensis hoc Radulphi Sessionensis poema, quod ad rhythmum attinet, imitatus est : « *Quant voi la glaie mëure.* » — Alterum exemplum retulit G. Paris (cf. *Romania*, VII, p. 97), cui plura addere licet. Nam bernensis scriba huic ejusdem Jacobi Cameracensis carmini : *Kant je plus pens a comencier chanson*, istam praescripsit annotatiunculam : *ou chant tu mi desir*, quia stropharum conformatio (*ababbcc*) formam carminis Theobaldi, Navarrae regis : « *Tuit mi desir et tuit mi grief torment* (non sine immutatione quadam : *ababbaa*) replicat. Imo, haec Jacobi Cameracensis cantio : « *Loeir m'estuet de la roine Marie,* » composita fuit « *ou chant de bone amour et loiaul amie* ; » quippe quae a *Gace Brulé* composito carmini : « *De bone amour et de loiaul amie* » pari syllabarum uniuscujusque versus numero, paribus versuum exitibus (*ie*, *ance*, *ire*) et pari stropharum conformatione (*ababcccb*) simillima sit. — Hoc autem animadverte : Jacobus Cameracensis propositum habuit *devota* et *sacra* poemata quam facillime diffundere; nec mirum si, profanae laudis parum curiosus, vulgatos celeberrimorum poetarum modos usurpavit.

Etenim, hoc animo attende : itidem medii aevi lyricis accidit et quovis tempore, in quavis regione, cuivis lyricorum scholae : nam sua cuique hominum aetati peculiaris lingua, qua animi affectus expresserit. Nulla autem lingua tam rapide hebescit et vetustate collabitur. Quo modo amorem et varios animi sensus perceperint et expresserint majores, non plane intelligunt posteri, si modo ad tertiam aut quartam progeniem descenderis. Citissime illa, majoribus usitata, amandi dicendique ratio senescit, obsolet, exanimatur; nam, ut exemplo utamur, quis nostrum fictas historias quibus patres nostri aetatis suae cupidines moresque descripsere hodie legere potest, nisi scientia bene munitus et, ut ita dicam, historicorum apparatu instructus? Nec priscis *Tabulae* ut aiunt *Rotundae* fabulis alludo, nec septimi decimi saeculi libris quibus *Astraea* aut *Cyrus magnus* aut *Clivensis regina* inscribuntur, neque etiam, quanquam recentioribus, Juliae, sive ut eam designat auctor, *Novae Aloysiae*, vel *Corinnae*; sed ipsis alludo operibus Ludovico Philippo regnante compositis, quae ruinosa et vetustate immatura dilapsa, jam hodierna die interpretes et grammaticos desiderant. Attamen his libris mores aetatis suae expresserunt non alieno sermone peregrini homines, sed nostra vernacula lingua majores nostri, imo avi nostri, imo patres nostri. — Quam citius autem vacillat et corruit lyrica poesis! Quae pridie amantes dixere, jam non intelligunt posterioris aetatis amantes, sed soli philologi! Inde fit ut omnes ejusdem saeculi lyrici saepissime eamdem cantilenam recantare videantur : nam suetam elapso saeculo sentiendi dicendique modum vix summatim percipimus. Quis adeo subtilis et emmunctae naris est ut Catullum a Tibullo, Tibullum a Propertio primo adspectu discernat? Nonne simillimi primum Tibullus Propertiusque videntur, sicut Cono Bethuniensis et Theobaldus Campaniae comes? Quis, nisi Ludovici tertii decimi tempora

summa diligentia excoluerit, Segraesium a Sarraceno, Racanum a Benserada, imo interdum Benseradam a Cornelio magno discerneret? Nonne judici minus litterarum perito sermo ille subridicule sonat quo amantes apud Cornelium utuntur, sive Erastus loquatur, sive Melita, sive etiam Polyeuctus et Paulina? At Pleiados nostrae poetis testimonium denuntio. Innumera ad *Olivam*, ad *Melinam*, ad *Deliam*, ad *Francinam*, ad *Cassandram* carmina collige : nonne primo adspectu eosdem communes locos a Petrarca desumptos videntur iterare? Propius tamen accede : in illis quoque species plures deprehendere licebit; facile Ioachimum Bellaium, utpote humaniorem, ab alexandrinorum poetarum discipulo Remigio Bellaquaeo discernes; Mauritium Scevam, abstrusum reconditumque Platonis sectatorem internosces et eruditum libidinosumque Thyardum. Quin etiam, si unius poetae, Ronsardi scilicet, amatoria evolveris, non servilem Laurae effigiem sectantur et exscribunt Maria, Cassandra, Helene : facile discrimen facies tum Mariae, rusticae, simplicis morbosaeque puellae, tum Cassandrae, quam dominam luxuriosius cecinit poeta, tum Helenes, quam senex molliori et incorporali, ut ita loquar, amore amplexus est[1].

Pari modo, ubi plures francogallicorum lyricorum editiones suppeditabunt, non in eadem perpetuo revolvi videbuntur illi poetae quos ad hanc diem visu ac specie imprudenter aestimavimus.

Hoc opusculo aliquid fortasse ad istum finem conferre licebit. Mediocrem, fateor, personam Nicolaus Musetus sustinuit. Neque ejus carmina permagni per se intersunt, neque is sum qui quod exiguum est dilatare velim. At, Nicolao adjuvante,

1. Sic optime Paschalis noster : « A mesure qu'on a plus d'esprit, on s'aperçoit qu'il y a plus d'esprits originaux. »

viam adhuc impeditam indico et oculis prospicio, quam non nobis, posteris saltem, licebit percursare.

Nam, cum jam circa mille medii aevi carmina edita sint, copia materiae nobis praesto est, incondita quidem, solida tamen, qua futurum opus inchoare, futuras aedes fundare possimus. Etenim hanc indigestam molem mens agitat quaedam, quae omnes illius aetatis poetas afflavit, neque arduum est seriem communium omnibus argumentorum recognoscere, et lyricorum thematum indicem perscribere.

Sic medii aevi lyrici exemplar et quasi *archetypum* tibi animo effingere potes; potes circumscribere intra quos fines unusquisque illius aetatis poeta necesse revolvatur. Est enim quolibet tempore, est circulus quidam sententiarum, morum, affectuum, in quem gyrum nemo non compellatur, ex quo nemo facile evadat.

Ubi autem hunc orbem duxeris, inquirere licebit utrum quique lyricus lyricorum archetypum pari imitatione sit consecutus; an intra certos istius circuli fines, minores circuli scribendi sint, id est an minores creverint affinium poetarum scholae et quasi familiae; imo an poetae exstiterint nonnulli qui, per se stantes et a ceteris seclusi, archetypi εἰδώλῳ repugnaverint, nedum serviliter consenserint.

Hanc quaestionem, deficientibus adhuc studiorum instrumentis, nemo hodie penitus explorare potis est; licet tamen scrutari an res idonea sit, de qua quaeratur.

Quare hoc opusculo — quod futuris operibus quasi praeludit — communi lyricae medii aevi poeseos norma et regula primum definita, cum hoc lyrici poetae archetypo Nicolaum Musetum et Cononem Bethuniensem conferam.

Quod si poetae isti inter se dispares evadunt, et communi

lyrici poetae εἰδώλῳ diverse respondent, non modo liquebit venturis, quoad nostrates lyricos attinet, indagationibus pretium fore, sed etiam eruditorum futurorum studiis stimulum quemdam addidero.

CAPUT SECUNDUM

QUID DE NICOLAI MUSETI TEMPORE, PATRIA ET VITA SCIRE LICEAT

I

Quae de Nicolao Museto fabulae vulgatae fuerint.

Ut de Carolo Magno vel Rolando, sic de Nicolao plures fabulas tradidit historia mendax.

Paulus *de Musset*, cum illustrissimi fratris vitam scriberet, ex antiquitate remotissima stirpis suae exordium duxit; at, inter tot tantosque viros qui nomen suum, si ei credideris, nobilitavere, quorum tamen nullum (fortasse non sine causa) nuncupavit, longum stemma repetere dedignatus, unum ex atavis tantummodo commemoravit : scilicet quemdam « *Colin de Musset* », praestantem musicum poetamque, qui Theobaldi Campaniae comitis, sibi amicissimi, carminibus modos aptabat, et tanta celebritate eminuit ut ei ejusque uxori, utpote excellenti poetriae, statuas aequales decreverint, Lutetiae Parisiorum ante januas Sancti Juliani aedium collocatas [1].

1. *Œuvres posthumes d'Alfred de Musset*, Paris, Charpentier, 1881, p. 1. « Tous les nobiliaires de France font mention de la famille de Musset, ce qui me dispense de reproduire ici la généalogie du poète qui a illustré ce nom. Cependant je remarque sur la liste de ses ancêtres un personnage assez curieux : c'est un certain Colin de Musset, qui était poète, musicien, joueur de viole très habile et ami du célèbre Thibaut, comte de Champagne et roi de Navarre. Colin de Musset composait de la musique sur les poésies

Paulus *de Musset* innocenti fictione stirpem ementitus est, cum asseruit se in majorum stemmate superbum illud nomen animadvertisse, de quo misellus noster joculator, nisi fallor, risisset : *Colin de Musset!* Longe tamen abest ut fabulas istas princeps somniaverit frater amantior.

Jam, anno MDCCLXXIX, narrabat *de Paulmy* quo pacto Theobaldus Campaniae comes, errabundi joculatoris paupertatem miseratus ingeniumque miratus, Nicolaum Musetum in domum et societatem suam pellexerit : haud immerito, nam fecundus ille artifex et inventor duo poematum genera pepererat, saltatoria carmina et cantiunculas quas *vaudevilles* dicimus. Quare, Theobaldi regis favore adeo locupletatus est egenus ille Nicolaus qui sedibus incertis pridie vagabatur ut sumptu privato aedes Sancto Juliano exstruxerit et dicaverit[1].

de ce prince et sur les siennes. Il fallait que sa réputation fût grande, puisque les sculpteurs chargés d'orner le portail de Saint-Julien des Ménétriers, à Paris, y placèrent sa statue et celle de sa femme, qui, apparemment, cultivait aussi la musique. Ainsi l'on peut remonter jusqu'au temps de la reine Blanche pour trouver l'instinct de la poésie et le goût des lettres parmi les ascendants d'Alfred de Musset. »

1. Marquis de Paulmy, *Mélanges tirés d'une grande bibliothèque*. Aliquid insuper ad Museti gloriam contulit *de Paulmy*, qui unum poetae nostri carmen reconcinnaverit. Insigne et subridiculum octavi decimi sæculi studiorum specimen, aliquot istius refectionis versus referre liceat, quos aviae nostrae eodem favore quo comitis *de Tressan* libros sine dubio prosecutae sunt et mollissimo animo cecinere :

Chanson de Colin Musset, remise en françois par M. de P.

« Dès qu'en un château d'importance
Apparoit le bon ménestrel,
Aussitôt le maître d'hôtel
S'apprête à doubler la bombance;
Le seigneur met son beau mantel,
La dame sa belle attornance;
Partout il fait un grand effet,
Le ménestrel Colin Muset.

Quae omnia, plus quam mythica, iteravit et amplificavit *de la Borde*, a quo etiam accipimus poetam nostrum ad summos Academiae Tricassensis et Provinensis honores a Theobaldo promotum fuisse[1].

At vehementer errat si quis putat istas fraudes in octavi decimi saeculi voluminibus reconditas nulli nostris temporibus erudito arrisisse : neminem enim fugit quam tenaciter perstet, quam longe lateque diffundatur error quilibet, vel ineptissimus.

Eas enim fabulas non modo in codicum marginibus[2], sed etiam in lexicis[3] et in anthologicis[4] vel nostra aetate repeti-

Le baron veut que l'on lui chante
Les exploits du brave Roland;
La baronne du beau Tristan
Veut ouïr l'histoire touchante.
— « Tout le monde sera content,
Dit Muset, mais qu'on me contente!
Saurez jusqu'au dernier rollet
Les chansons à Colin Muset!... »

(De la Borde, *Essai sur la musique*, t. II, p. 332.)

1. De la Borde, *Essai sur la musique ancienne*, 1780, t. II, p. 207.
« Colin Muset était un simple jongleur ou ménestrel que son esprit éleva au grade d'académicien de Troyes et de Provins... Une tradition fort ancienne nous apprend qu'il contribua de ses deniers à la construction du portail de Saint-Julien des Ménétriers, qui subsiste encore dans la rue Saint-Martin, et qu'on l'y a représenté jouant du violon... On a fait aussi Colin Muset inventeur du vaudeville. M. le marquis de Paulmy a raison de le croire plutôt l'inventeur des chansons à danser : du moins, nous n'en connaissons aucune plus ancienne que la sienne. »

2. In rerum indice codicis Bibl. Ars. 5198 legitur : « Colin Muset étoit un fameux jongleur ou menestrel; on le croit inventeur d'une espèce de vielle avec laquelle il est, dit-on, représenté au portail de Saint-Julien des Ménestriers. Cet instrument s'appeloit aussi un rebec. »

3. Cf. Hermann Mendel und Aug. Reissmann, *Musikalisches Conversations-Lexikon* : « Muset, ein *jongleur* des 13 Jh. — Kam durch die geschiklichkeit, mit der er mehrere Instrumente spielte beim Könige von Navarra zu hohen Ehren und zu so grossem Reichtum, dass er bei der Gründung der Kirche Saint-Julien des Ménétriers zu Paris durch die Jongleurs Jaques Grure und Hugues oder Huet le Lorrain (1321) die Kosten des Portals beigesteuert haben soll. » (1877).

4. Cf. Leroux de Lincy, *Chants historiques*, II, 221 (1841) : « Au portail

vere et auxere critici quibus Museti nomen occurrit : sive quaesiverunt non sine ridenda gravitate quae fuerit illa Tricassensis et Provinensis Academia [1], seu Museto quarumdam repertarum fidium laudem adscripserunt.

Ergo, si tot eruditorum ingeniosas fictiones in unum congeris, totam habes Museti vitam : qui vagus joculator circa annum MCCL floruit et, subtilis artifex, plura invenit organorum poematumque genera. Theobaldus autem, tanti viri miseriam moleste ferens, eum in familiaritatem suam accivit, honoribus divitiisque cumulavit, et in poetarum suorum academiam arcessivit sodalem. Sic senuit Nicolaus, poetarum collegii princeps, et, adjuvantibus Jacobo Grurio et Hugone Lotharingio, Sancti Juliani aedibus praestitit impensam. In his aedibus Museti ejusque uxoris, quae poeseos studium fovit, simulacra erecta sunt. Imo Nicolaus in numerum Alfredi de Musset majorum adscribendus.

Supervacaneum est tot doctorum hominum mendacia redarguere. Nam, ut exemplum unum afferam, jam anno MDCCXLII, eruditum virum, Laravallière, non latebat quae

de Saint-Julien des Ménestrels, on voyait une statue représentant un jongleur qui, l'archet d'une main et le violon de l'autre, semblait préluder au récit de quelque chanson. La tradition voulait que cette statue fût celle de Colin Muset, jongleur-poète qui mourut dans la première partie du XIVe siècle et qui, dans sa jeunesse, aurait chanté devant le roi de Navarre. Colin Muset, devenu vieux et riche, aurait contribué, antérieurement à 1320, à la construction de Saint-Julien, et c'est à ce titre de fondateur que sa statue figurerait au portail de cette église. »

1. Sic Fetis (*Biographie générale des musiciens*, 1864, *Sub Verbo* Muset) et *Denne-Baron* (*Nouv. Biographie générale*, 1866), qui prioris eruditi locum exscripsit : « Il est probable que Delaborde a voulu parler des concours que le roi de Navarre avait établis à Troyes et à Provins pour les chansons. » — Quae ipsa poetica certamina fabulosa sunt. Haec fictio e quodam loco, prave interpretato, libri dicti *Chroniques de Saint-Denis* originem duxit. Cf. David Huet, *Positions des thèses des élèves de l'École des Chartes*, 1885.

simulacra sancti Juliani januas ornent : quorum alterum non Nicolai, sed Sancti Ginesti, alterum autem non Nicolai uxoris, sed Sancti Juliani, joculatorum patroni, effigiem reddit[1]. Sic de ceteris istis fabulis.

Hoc tamen haud illepidum : scilicet eorum μύθων nucleum retegere, et fontem ex quo manaverint deprehendere licet. Solus enim tot somnia locus excitavit a candido doctoque viro *Fauchet*, Henrici IV temporibus scriptus : qui, cum de hisce Museti versibus ageret

J'alai a li el praelet
O tot la vielle et l'archet,

jure et innocenter animadvertit hoc verbo *vielle* idem organum significatum fuisse quo ludit ante januas Sancti Juliani aedium joculator quidam exsculptus[2]. — Inde tot fabulae !

Cur autem tot commenticias nugas, jamdudum a P. Paris ad nihilum redactas, refricuimus ?

Scilicet hoc spectaculum haud injucundum est et oculis capessendum, si forte eruditorum quamdam fabulam per flexus variasque conversiones persequi licet, quae, sicut « Chimaera bombinans » per bibliothecas volitat. Doctae enim fabulae a vulgi fabulis nullo modo differunt, nisi quod minorem habent

1. Lévesque de La Ravallière. *Les poësies du roy de Navarre*, I, 253.

2. Fauchet, *Œuvres*, 1610, f° 573, v°. « Colin Muset fut un joüeur de violle, qui alloit par les cours des princes, ainsi que le déclare sa première chanson. Par la seconde, il donne à cognoistre que sa vieille n'estoit pas pareille à celle dont jouent communement les aueugles du jour d'hui. Car il dit :

J'alay a li el praelet
O tot la vielle et l'archet.

La figure d'un jougleor tenant ceste forme de vielle ou violle se voit en bosse au coté dextre du portail de l'église de Saint Julien des Menestriers, assis à Paris, en la rue Saint-Martin, représentant un instrument communément appelé un *rebec*. »

oblectationem : ceterum aeque vivaces, pari modo perennes. Nihil tristius errore, nisi iners ovilisque hominum natura, quae errorem quemlibet excipit et fovet. Nihil tristius ineptia, nisi exploraveris quanta temporis et studiorum impensa ineptia destruatur. Frustra Paulinus Paris has de Nicolao fabulas redarguit; superstites adhuc perstant, nam ineptia quaelibet, ubi primum in orbem emissa, adolet, floret, explicatur, vivit in aeternum.

II

Quid de Nicolai Museti vita perspectum habeamus.

De nostri poetae vita pauca quidem tenemus, sed satis certa.

Quippe cum tres ex suis patronis nominatim protulerit Nicolaus, scilicet :

1° mon bon seignor de Waignonrut,

2° la bone duchesse,

3° le bon comte de Widemont,

inquisivit P. Paris[1] quo tempore et in qua regione vixerint, idque adeo sagaciter, ut, quae conjecit, propria indagatione roborare quidem, non autem ampliare valeam.

1° Quis hoc titulo « *mon bon seignor de Waignonrut* » memoratus est ?

Ancipites haesitant hujus vocabuli formae : nam in bernensi codice B² *Waignonrut* legitur, in manuscripto parisiensi Pb¹² *Waigonrut*; in diversis Gaufredi Villeharduini historiae codicibus[2] : *Gaignoru* (A), *Gaignonriu* (B), *Voignoni* (C D E),

1. *Histoire littéraire*, t. XXIII, 547-553.
2. Cf. ed. a *de Wailly*, curatam § 5.

Vigneroi (F), *Wagnonriu* (G)*;* in *Tractatu de diversis materiis praedicabilibus : dominus de Vagnori*[1]; alias : *Vaignorri, Vangnonri, Vagnori, Vagnorri*[2]; alias : *Waignoru*[3].

His variis ejusdem vocabuli formis idem locus significatur, scilicet *Wangionis rivus*, quem pagum recentiores *Vignory*[4] vulgo appellant. Si modo hunc titulum : « mon bon seignor, » ad litteram stricte interpretaris, liquet ex hoc pago Nicolaum oriundum esse. Cum autem *Vignory* et *Joinville* proxima sint oppidula, poetam nostrum venustumque historiae scriptorem Johannem de Joinville idem genuit terrae angulus. Imo nihil obstat (ut infra apparebit) quin Nicolai patronus et Gualterius *de Vignori* unus et idem sint, qui anno MCC in hierosolymitanam terram vindicandam tirocinium posuit et ad annum MCCXXX et fortasse longius vitam perduxit.

2° Nunc autem hunc poetae nostri locum animadverte :

Mon descort ma dame aport,
La bone duchesse, por chanter...
Qu'ele aime deport, rire et joer.
Dame, or vos vueil bien monstrer
Que je ne sai vostre per
De bone vie mener
Et de loialment amer :
Adès vos voi amender
En vaillance et en doner;
Nel laissiés ja por jangler
Que ce ne vos puet grever..

1. Cf. *Etienne de Bourbon*, ed. Lecoy de la Marche, 1877, p. 58.
2. Cf. *Histoire des comtes de Champagne*, d'Arbois de Jubainville, *Livre des vassaux du comte de Champagne et de Brie* (ab A. Longnon editum), t. VII, 1869, n. 1845, 1924, 1925, 1945.
3. Cf. *Feoda Campaniae*, a Longnon edita, *op. laud.*, t. VII, p. 6.
4. Medio aevo *feudium castellaniae Barrensis*, hodie autem : chef-lieu de canton de l'arrondissement de Chaumont (Haute-Marne).

Cum ex altero loco, de quo supra diximus, constet Nicolaum in orientalibus Galliae provinciis aetatem egisse, sequitur ut Lotharingiae ducissam his versibus memoraverit, et, si doctissimo viro P. Paris credideris, ducissam Agnes, filiam Theobaldi I comitis Barrensis et uxorem Ferri II. Quam incertam praesumptionem prospero casu comprobare potis sum : quippe cum Nicolaus et Jacobus quidam Ambianensis poeticum certamen alternis versibus inierint (quod infra edidi, XI), patet indicia quae de istius poetae tempore collegeris, Nicolai tempori, utpote Jacobo Ambianensi aequalis familiarisque, pariter convenire. Quae cum ita sint, his Jacobi Ambianensis versibus attende [1] :

Chanter m'estuet quant contesse m'en prie...
Contesse, en vos ait tant biens honorance [?]
Ke, s'on persoit les honors, les vaillences,
En vos dëust estre corone assise :
Mais, se si n'est, el ciel vos soit promise !
Ferris, c'Amors ait bien en remembrance,
Tost oblieis tous mals, toute grevance...

Liquet hunc Ferri istius comitissae conjugem fuisse : nam cum utrumque uno carmine ad amorem hortaretur, procacem ob linguam sane poenam commeruisset humilis *joculator*, si forte comitissae alienique viri nomina temere conjunxisset. Inde verisimile evadit Nicolaum Jacobumque eamdem patronam celebravisse, uxorem scilicet Ferri cujusdam, Lotharingiae ducis [2].

Inter Lotharingiae duces, ceteris necessario neglectis, duo respiciendi : sive Ferri I, sive Ferri II.

1. Vide Brakelmann, *Archiv*, nº CVII.

2. Comitissae quidem, non ducissae Jacobus Ameniensis allusit : at Agnes, Barrensis comitissa, Lotharingiam non ante annum MCCVII tenuit.

Alter, qui anno MCCVII senex obiit, Gertrudam filiam ducis Mathaei *de Montmorency* uxorem duxerat : neque admodum verisimile videtur ad ejus laudem carmen a Museto scriptum fuisse quod feminae aetate adhuc florenti manifesto dicatum est; quando enim Gertruda circa annum MCLXXX floruit, huic tempori, utpote antiquiori, Nicolai carmen adscribere vetitum.

Alter autem, qui ab anno MCCVII usque ad annum MCCXIII Lotharingiam tenuit, Agnes filiam Theobaldi I comitis Barrensis et Laurettae, filiae comitis *de Loss* in matrimonium duxerat. Fac eam circa annum MCLXXV genitam : etsi a. MCCVII sex partus jam pepererat, nihil obstat quin eam praedictis versibus poeta noster nuncupaverit.

3° Quod ad comitem *de Widemont* attinet, nusquam in orientalibus Galliae regionibus locum reperias qui nominis istius similitudinem, imo vicinitatem reddat, praeter *Vaudemont* : nec tamen formae *Widemont* rationem reddas : nam quaecumque hujus vocabuli formae mihi occurrerunt, eae vocalem *a* in prima syllaba retinuere (latine *Vademontium*, *Vadani montem* [1]).

Nihilominus, si re vera de quodam comite de *Vaudemont* agitur, optio tibi datur utrum poeta his versibus ad grandaevum hominem directis [2] Gerardum II significaverit qui anno MCXC decessit, longaevus homo (nam filius ejus jam matura aetate vigebat a. MCLXXXVII quo apud Tiberiadem pugnavit), an Gerardi filium, Hugonem II memoraverit, qui anno MCCXXXV vel MCCXXXVI obiit.

1. Vide A. Longnon, *op. cit.* : 1509, li sires de Wadoimont. — 1851, li cuens dou Vaudesmons. — 1916, la comtesse de Vaxdemont. — 2005, Hurrions de Wadesmonz.

2. « Al siecle a bien fait sa voie
Que nuls hom ne li desfent
Tant com le savront vivant. »

Quid inde collegimus? Prope eadem quae vir eruditissimus P. Paris conjecit : scilicet poetam nostrum incipiente saeculo tertio decimo in Lotharingia et Campania floruisse; utrum circa a. MCLXXXV adolescens an circa a. MCCXXX senex carmen Vademontii comiti dicaverit, anceps et incertum.

Quod autem genus vitae degendae sibi constituerit, e venustis Nicolai versibus[1] satis perspicuum. Nam « ministerelli » artem exercuit, vagi quidem, nec ulli patrono constanter additi, non famelici tamen nec pannosi. Enimvero scurrilis vitae miserias non omnino effugit : expertus est illustris ille « Privinensis et Tricassensis Academiae sodalis », expertus est popinas quibus tesseris assidue luditur, et tabernarium qui, pallio pignori accepto, nihil credit. Non tamen adeo miser : equus erat Nicolao nostro proprius, quo vectus « tolutim ad malos patronos iret »; erant proprii lares, erat domi uxor, quae, dum exspectabat conjugem, caste, ut casta Lucretia, fusum versabat; erant famulus et famula, crassique capones in verubus coquendi.

1. Hoc confer poema, quod sic incipit :

« Sire cuens, j'ai vielé
Devant vos, en vostre osté... »

CAPUT TERTIUM

QUEM LOCUM NICOLAUS INTER MEDII AEVI LYRICOS TENUERIT : EPITOME COMMUNIUM OMNIBUS EJUS AETATIS LYRICIS ARGUMENTORUM.

I.

Hunc venustum poetam aestimare et momento suo ponderare libet.

Ut supra diximus, si cujusvis poetarum scholae poetam quemvis vera aestimatione perpendere conaris, oportet ut imprimis communia totius scholae argumenta percenseas atque indicem communium omnibus sententiarum affectuumque perscribas. Sic praecipuis coloribus tabellam pictam inficies, in qua diversos scholae sodales depinges : quicumque poeta singulari et insita virtute enituit, proprio splendore conspicuus, in tabella a fronte emicans, exstare atque eminere videbitur, ectypae imaginis instar; uniuscujusque autem mediocris versificatoris effigies, nullis nisi praecipuis et communibus totius picturae coloribus distincta, pallida et obscura, quasi caligine obvoluta, in abscedentia retrocedet.

Haud difficillimum erit totam nostratum lyricorum doctrinam recognoscere et quasi dogmatum corpus describere, de quo poeta quisque diceret : in eo vivimus, movemur, sumus. — Eam doctrinam ab Australibus ad septentrionales migravisse satis constat : sed pariter constat poesim illam tam perfecte septentrionalis cœli naturae adsuevisse ut non alienigena, sed domestica evaserit. Quid? cum Iohannes *Bretel* vel Hugo

castellanus Atrebatensis, quanquam toti ex Provincialibus pendent, fortasse ne suspicantur quidem lyricos poetas in Provincia unquam exstitisse. Ex Aquitanis manant, Aquitanos furantur, nec ullius unquam Aquitaniae poetae versus, imo nomen plerique audivere. Discipuli sunt, sed nescii suorum magistrorum discipuli. Si Francorum lyricam poesim minimi facis, utpote adventiciam, et quia ab Aquitania primum defluxit, pari ratione de Arturio et Galwino poemata praetermittes, quae a Britannia originem duxerunt; quin etiam, epica nostra de Trojae excidio vel de Alexandro Magno poemata negliges, quae ex aliena regione, scilicet ex Byzantio, invecta sunt. Quem autem pari modo nostratum poetarum fundum non diripies, non exspoliabis? Quae intacta et incolumis evadet propria medii aevi poeseos provincia? An ullum exstat Pleiados nostrae placitum quod vel apud Pindarum, vel apud Horatium, vel apud Petrarcam non reperias? Idcircone Ronsardi carmina utpote ex graecis romanisque libris expilata leviter curabis? — Fateor equidem : nisi floruissent in Provincia poetae, nec gallici, nec germanici medio aevo lyrici vitam auspicati fuissent. At, pari ratione, fac Petrarcam non exstitisse : nec Ioachimus Bellaius exstitisset, nec Ronsardus. Quanquam Theobaldus Campaniae comes et Gualterius *von der Vogelweide* in verba Bernardi *de Ventadour* et Bertrandi *de Born*, ut discipulos decet, juravere, germani tamen hominis, non provincialis Gualterius, gallici, non provincialis hominis vultum refert Theobaldus.

Ergo, jure et legitime licet themata quae apud gallicos poetas reperiuntur expromere, perinde ac si ex gallico semine in gallica terra germinassent. Quae themata non potes ante omnia non contueri, sive Nicolaum Musetum, sive quemvis alium ejusdem aetatis poetam aestimandum tibi proposueris.

Nec opus arduum conamur, nec omnino novum : nam haec nostratum lyricorum placita jam plures edisseruere, sed plerumque detorsere : sive, incipiente nostro saeculo, illam de amore doctrinam plus aequo extulerunt et fucatis coloribus concinnaverunt eruditi[1], sive nostris temporibus, faceta ironia et bella, eamdem in ludibria verterunt[2].

II.

Tota ex nonnullis principiis lyrica medii aevi poesis constat et pendet : ubi primum ea primordia mente cepisti, tot varia, quassata et disjecta argumenta ordinantur aliaque cum aliis nectuntur. Quae autem sunt ista principia?

Scilicet amor vis est quaedam in amantis arbitrio et voluntate insita. Non de ineluctabili illa potentia agitur quae (ut apud Graeciae et Britanniae poetas solet) fato et necessitate in pectus obrepit, animum fatigat, urget, debellat. Hosce Sophoclis versus nullus nostrorum lyricorum intellexisset, nedum probavisset :

> Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
> Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,
> ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
> νεάνιδος ἐννυχεύεις,
> φοιτᾷς δ'ὑπερπόντιος ἐν τ'ἀγρονόμοις αὐλαῖς·
> καί σ' οὔτ' ἀθανάτων φύξιμος οὐδεὶς
> οὔθ' ἀμερίων ἐπ' ἀνθρώπων, ὁ δ'ἔχων μέμηνεν.
> Σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους
> φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ·....
> ...ἄμαχος γὰρ ἐμπαίζει θεὸς Ἀφροδίτα[3].

1. Ut Raynouard.
2. Pace amici mei Jeanroy dixerim.
3. Antig., 781.

Nullo enim modo Ἔρωτα πανδαμάτορα coluere veteres nostri poetae, nec Venerem, immanem illam deam, quae nunquam satiata praedae haeret innixa. Amor (si nostris credas poetis) propensio est quaedam, praepotens quidem, ratione tamen libere accepta, et qua ad pulchra et bona allicimur. « Nunquam, ait Christianus Tricassensis, venenatum poculum hausi quo Tristanus infectus est : attamen, sola suadente *voluntate*, vivacius amo quam ille amavit [1]. » Ergo nemo amat nisi amori prius sponte assensus est ac libenter manus dedit. Nullum apud medii aevi lyricos perniciosae dominae exemplar reperias, apud recentiores scriptores satis tritum, quae amantem turpi et inenodabili vinculo constringit, probroso jugo premit. Nam illa sola amatur quae dignissima est quae ametur, et amatur perinde utcumque animi dotibus, liberalitate, fide, comitate praepolleat. Non quia dominam proditionis nunquam arguerunt medii aevi lyrici : sed quoties hoc thema repetunt, toties eodem carmine perfidae valedicunt. Ubi fraudem suspicantur, priscum amicitiae pactum denuntiant et dirimunt. Hoc iners et servile amandi genus, quo sincerus insincerae alligatur, respuere, vel potius ignoravere. Non medio aevo accidit — quanquam haec est pervulgata eruditorum opinio — ut femina, numinis instar in cœlum elata, quasi consecratione diis aequaretur. Sunt maleficae, sunt spernendae et revera spretae feminae. Non feminam, utpote natura bonam, cultu honoravere medii aevi homines, sed dominam, ex definito bonam : nam ea sola amatur cujus excellentia, libero mentis consensu, prius agnita.

1. Onkes del bevrage ne bui
Dont Tristans fu empoisonnés ;
Mais plus me fait amer que lui
Amors et bone volentés.

(Wack, p. 18.)

Ergo, amor inclinatio est qua ad bona sponte nostra inducimur. Quae cum ita sint, ut nulla femina diligenda est nisi amorem meruit, sic mutua lege nullus amans rursus diligendus, nisi bene meritus. Domina enim non bruto et luxurioso cupidinis ardore ad te rapietur : ut nullo immutabili fato coactus ad illam praeceps abiisti, sic nolis repentinum caecumque animi impetum sperare, quo impulsa in ditionem tuam subigatur, quia pulcher es et amas. Amor tibi pretio comparandus; amor meritis par esto. Quid tum inde? Scilicet amor fons virtutum; amor vitam honestat : « Nemo de dignitatis gradu demoveri potest, ubi amat; quo magis amabit, eo melior fiet[1]. »

Amor hominem e rustico in urbanum convertit[2]; amor arbiter elegantiarum, magister comitatis, munditiarum, fidei[3]; amore ad honorem itur, nec ullus vera aestimatione perpendi potest, nisi prius ab Amore domitatus[4]. Ille militem perficit,

1. Haute chose a en amor :
Bien la doit garder ki l'a !
Ne puet faillir a honor
Fins cuers ou elle sera.
Ki plus aime, plus metra
Trestout son desir
En bon devenir.
(Ghislebertus de Bernevilla, *Scheler*[1], p. 83)

2. Amors... vos faites par estavoir
Les vilains cortois devenir.
(Mathaeus de Gandavo, *Scheler*[1], 3.)

3. Car d'Amour a maintenir
Naist solas et druerie,
Et quanqu'on puet accoillir
De cortoisie.
(*Arch.*, LXII.)

4. D'amors vient joie et honor ausiment,
Ne nuls ne puet avoir entierement
Prix ne valor, s'amor ne le jostise.
(*Arch.*, CXXXVII.)

ille virtutum principia absolvit, generosa semina in pectore insita alit et explicat[1] : imo, sine illo, nemo probus[2]. Amor ex aemulatione heroum, Tristani, Galwini, constat. Sic Theobaldus Navarrae rex : « Amor, urbanitas, bonitas triadem et unitatem efficiunt, quae nec secerni, nec dividi possunt[3]. » Itaque, ultimus amoris finis amor : per se stat, nec ullam requirit mercedem. Amor pretium sui est. Pessimam tibi gratiam domina retulit? Quid tua refert? Satis profecisti, quando nobillissimae militis et Galli dotes, scilicet fides, fortitudo, ingenuitas, in pectore tuo adolevere[4].

Si quidem amor exercitatione virtutis comparatur, sequitur ut non sit una die parabilis; exspectandum enim donec domina usu cognitum habeat quanti valeas[5]. Longo fortasse

1. *Arch.* CLXVI.

2. Ainc chevaliers n'iert ja de grant renon
Sans bone amour ne sans sa signorie :
Ne nuls sans li ne puet estre proudons ;...
Prouesse, honors, solaz vient de s'aïe.
(Radulphus Suessionensis, *Arch.*, LXVI.)

3. De fine amour vient seance et bonté,
Et amours vient de ces deus autresi:
Tuit troi sont un, qui bien i a pensé.
(*H. L.*, 781.)

4. Nus ne puet faire folie
En bone amors maintenir;
Car, s'on ne conquiert amie,
Si fait Amors devenir
Le cuer cortois, et haïr
Vilenie, sanz faillance.
Puis c'on en avance,
Nus ne s'en doit partir.
(Ghislebertus, *Scheler*[1], p. 67.)

5. Chascuns qui a viaire taint
Ne qui saroit bel sermonner
N'aime pas, pour chou s'il se plaint...
Pour chou doit dame, ains qu'ele otroie,
Son ami *par oevre esprover*.
(Adam, V, p. 23.)

tempore inspicienda erit tua fides et tentanda. Ergo patientia suprema lex amantis esto. Caveat ne poenitendo amet [1], sed constanter perstet in incepto. Apage amatores qui ex casu et occasione mulieres ambiunt assectanturque [2]; apage « aestivos amasiunculos [3] » qui per tempestatem unam fidem suam obstringunt, simulatores istos qui « tempore Paschali », ut aves, canunt et frigide lamentantur [4] !

Sed exspectationi ab amante patienter acceptae necesse est ut domina pari exspectatione vicissim respondeat. Fidei experimentum constanter tolerabit ille, ea tamen conditione ut domina eum sincere experiatur. Quo autem pacto sincere ? Scilicet cum haec exspectatio eo pertineat ut amans virtutum documentum praestet, cum intervallo opus sit ut periculum sui faciat, caveat domina ne praepropera festinatione de amante judicet. Quandoquidem de amantis virtutibus communis hominum opinio judicat, quoniam fama eas quasi ad obrussam exigit, necesse est ut domina opinioni confidat quidem, sed expertae ingenuaeque opinioni. Ne citius famae credat, fortasse commenticiae. Inde apud lyricos tot et tam acerba in laudatores (*losengiers*) convicia, scilicet in aemulos vel in

1. Onkes ne seuc amer a repentir (Mätzner, p. 6.) — Onkes n'amai en repentir (Couci, Brak, *Chans.*, p. 112). — Onkes n'amai a repentir, Ne n'i soi faire mesprison. (Audefroid, *Mätzner*, p. 129.)

2. Cil qui chantent de flor ne de verdure
Ne sentent pas la doleur que je sent :
Ainz sont amanz ausi com d'aventure.
(Eustache de Reims, *Mätzner*, p. 113.)

3. Mais cil faus amoureus d'esté...
N'aiment fors quant talent lor prent.
(Gace Brulé, Mätzner, p. 40.)

4. Mais li faignant prieour
Dont ja dame n'iert amée
Ne chantent fors en pascour :
Lors se plaignent sans amour.
(Mätzner, p. 40.)

pravos homines qui in amantes mendacia serunt, calumnias fingunt. « Diffidas (sic dominam innumeris carminibus obtestati sunt), diffidas criminibus et criminatoribus ! Me periclíteris, vel diutissime, concedo ; sed ea lege concedo ut eadem trutina rivales mei pensentur, dum virtutes ostentant quas non nisi temporis diuturnitate probare tibi licebit ! »

Quae sunt autem istius necessariae exspectationis propria ?

Imprimis modestissima esto. Ne nimis audeat amans, sed prece et supplicatione humili utatur[1], contentus si domina amœno verbo risuque vel levissimo tot et tantis curis responderit[2]. Daedali ὕβριν vitet : nam medium tenuere beati[3]. Longinquae autem spei et dierum numero confidat : singula enim stillicidia aquae cadentis silicem excavant[4].

Secundo, dolendum est. Acerbe quidem vexationibus, suspicionibus, injuriis, quae exspectationem, ut pedisequae deducunt, cruciaberis. Sed haec est amoris nobilitas. Hoc veteri nostrae poesi summo decori, hoc medii aevi lyricos a mediocritate vindicat, quod professi sunt quam necessarius sit dolor, quam nobilis :

Car fins amis doit avoir connoissance
Qu'adès vaut mielz en tote rien soffrance[5].

1. Trop font chil amant a haïr
Qui requierent hardiement... etc...
(Adam, XVIII, p. 72.)

2. C'un bel semblant ëusse or au premier
De vostre douche figure !
(Adam, XXIV, p. 95.)

3. Moiennement convient aler.
Dedalus qu'ensi vaut ouvrer
Le senefie,
Et ses fieus qui, par se folie,
Fu tous ars par trop haut voler.
(Adam, V, p. 23.)

4. Car l'eau qui chiet ront bien la pierre bise.
(Couci, Brak., *Chans.*, XVI.)

5. Gualterius *d'Espinau*, Brak., *Chans.*, XVI.

Qui dolorem non libenter excipit nunquam amare curet. Qui mala ab Amore irrogata non tolerat non dignus est qui bonis ab Amore concessis fruatur [1]. Qui non adeo est audax ut angorem quemcumque, quoscumque animi cruciatus exhauriat, amorem mentitus est [2]. Imo, si quis, nullum prius moerorem perpessus, in gratiam et favorem dominae venerit, voluptatem quidem experietur, non autem amorem; et si forte numina sincero amatori concederent ut nullo unquam dolore affligeretur, hoc exitiale donum respueret : nam dolore, utpote ineluctabili via, ad amorem itur [3].

1. Hos nonnulos versus, inter tot carmina desumptos, accipe :

Qui n'est souffrans et d'estable corage
Il ne se doit entremettre d'amer.
Car cors ne puet en amour pourfiter
Qui est acompaigniés a cuer volage.

(Adam, IV.)

Hé! las! il n'est mais nus qui aint
Ainsinc c'on deveroit amer!
Chascuns amanz orendroit faint
Et veut joïr sans endurer.

(Adam, V.)

N'est pas droiz d'Amors que les biens en sente
Cil ki les douls mals n'en veut soustenir.

(Gace, *Archiv*, XXXI.)

Cf. *Archiv*, XLVIII, XCII, etc...

2. Adam, XXIV, p. 94.

3. Je ne cuit pas que nuls poïst avoir
Joie d'amor, s'il n'en sent la dolor.
Premiers convient leal ami doloir
Ançois qu'il n'ait nule joie d'amor.

(Gualt. d'Esp., Brak., *Chans.*, XXIII.)

Bele, onques n'est amenrie
Ma peine, ne amenrir
Ne la voudroie je mie.
Car ne doit d'Amors joïr
Qui n'en veut les maus soufrir
Molt liement.

(Johannes Bretel, *Mätzner*, 40.)

Quin etiam, dolor non aequo tantum animo, sed laeto accipiendus. Dolorem non tolerabis, sed fovebis : « nam pectus illuminat totum[1]. » De moerore effugere et elabi nullo modo conantur lyrici, quippe qui in carcere asserventur « non horrido nec tenebroso, sed lucidius quam dies paschalis resplendente[2]. »

...Medio de fonte dolorum
Surgit amoeni aliquid luctu quod mulcet in ipso.

Hic *gaudii* rationem habes (vulgo : *joy*, *joie*) a Provinciae et Galliae poetis satis explicatam : « Aestus est animi quidam mirus, quo homines supra viles sensus extolluntur vividoque impetu in omnia pulchra generosaque impelluntur, vel si videantur non sine amentia tentari posse. Qui tali aestu impletur, nihil nisi illam cogitat quam amat cujusque gratia omnia amittere non recusaret. Si quis contra frigida ratione utatur, importunus habetur odiosusque, qui propriam vitam exornare nesciat, aliorumque voluptates offuscet[3]. » Quo pacto cor tam grato angore laboraret, nec gauderet[4] ? Voluptati a falsis ama-

Chascuns se plaint d'Amors qu'il le justise;
Mais j'en suis liès plus que de nul avoir :
Cil qui bien aime en gré doit recevoir
Les mals d'Amors...

(*Arch.*, XLVIII.)

1. Adam, IX, 33 : C'est bons maus qui cuer esclaire.
2. Perrin d'Angecourt, *H. L.*, 666.
3. Jeanroy, *De nostratibus poetis*, p. 54.
4. Comment porroit cuers sentir
Si douch mal sans estre en joie ?
(Adam, XIV, p. 37.)
...Et quant je plus plaing et sospir,
Plus sui joianz quant plus m'aïr.
(G. d'Espinau, Brak., *Chans.*, VI.)

sionibus captatae mera spes anteponenda[1], dulcis et optatus dolor, gaudiumque injuriis vivacius[2].

« Gaudium » autem ex uno fonte profluit : prorsus Amori amantes confidunt. Cum nulla ament nisi bona.pulchraque, cum dominae favorem patientiae et fidei impensis consectentur, citius tardiusve tot virtutum mercedem assequentur (*guerredon*) : Amor enim sicut Deus, qui insita quadam necessitate virum probum remuneratur : necesse est ut pro cujusque merito persolvat[3]. Quicumque Amori se permisit et in ejus fide totam causam reposuit[4], sub umbra tanti auxilii lateat et quiescat : ut Dei, sic Amoris injustitiam humana mente complecti nefas. Sic argumentabantur, hac firmissima ratiocinatione pessimam miseriam consolabantur majores nostri : « Domina mea prudens est; Amor sincerus; ego autem, pro virili parte mea fidus. Ergo praesentem infelicitatem flocci non facio : nam mercedem necessario accipiam[5]. » Imo, Amor *duci*

1. Adam, XII, p. 50. « Car mes espoirs vaut d'autrui le joïr. »

2. Adam, XXX, p. 116. La savereuse joie — C'om ne puet trop achater — Ne desirrer.

Pour çou se j'aim et jou ne sui amés,
N'ai pas talent que mete en oubliance
Celi de qui vient ma jolivetés :
Car s'ele ja n'avoit cuer ne voeillance
D'amenuisier ma très douce grevance,
Si me doi jou de fine amor loer :
Car par li ai le savereus penser... etc...
(Robertus *de Kastel*, Mätzner, p. 21.)

3. Nuls ne doit Amour servir en dotance;
Car a chascun rent selon sa vaillance ;
Blondel a de mort a vie conduit.
(Blondel, Brak., *Chans.*, 1.)

4. Onkes ne fis a escient
Contre Amor ne sen ne folie,
Ainz sui a son commandement.
(Gace, *Arch.*, CXXIV.)

5. Jacobus *de Cison*, *Mätzner*, 16.

aut *comiti* saepissime aequiparatus [1] : cui si operam fideliter et constanter navasti, patrocinium tuum profitebitur. Sic Mauritius Credonensis jactat se Amoris, ab stirpe, servum : cum hoc sui sanguinis proprium sit et familiae suae ingeneratum ut majores Amori probe famulati sint, necesse est ut ipse ab Amore in fidem clientelamque suscipiatur [2]. Tanto praesidio freti, patienter exspectant amantes : nam hora una labores remuneratur vel longissimos [3].

Haec nonnulla principia si quis animo hauserit et quasi in medullas demiserit, statim clarescent tot veteris poeseos placita. Nam, ut exemplum afferam unum, hisce Adami *de la Hale* versibus, primum involutis et obscuris, completam amoris definitionem agnosces :

On demande mout souvent : « Qu'est Amours ? »
— Amours est *volentés* durans *tous jours*
En cuer d'amant d'amour de dame espris,
Dont *desirriers* est li douche savours,

1. *Musetus*, VII, — *Arch.*, XXXIII, — Wilhelmus *Veau*, *Wack.*, 31 ; etc.

2. Fine Amours claime en moi, par iretage,
Droit et raison : car bien et loiaument
L'ont servie de Creon lor eage
Li bon seigneur, qui tindrent loiaument
Pris et valour et tout enseignement...
Et del sorplus me met en sa menaie
De cuer, de cors et d'amour et de vie,
Com a ma douce et droite signourie.
(Mätzner, 14.)
Bien sai de voir que faillir a sa gent
Ne puet Amours, s'a droiture ne ment.
(*Wack.*, p 25.)

3. Car li biens d'une seule hore
Les mals d'un an rasoage.

(Leroux de Lincy, *Chants historiques*, I, XLVIII ; cf. plures simillimos locos apud *Mätzner*, p. 116.)

Et *esperanche* en est li drois delis.
Estre amés, ch'est li *mercis* :
Par resgart est *comenchie*
Et par *valoir* porsievie [1].

Liquet Adamum his versibus iisdem lineamentis atque ego ipse amorem descripsisse : amor scilicet in amantis arbitrio (*volentés*) positus; — constantia amanti injuncta (*durans tous jours*) ; — amoris gaudia non voluptate definita, sed desiderio et spe (*desirriers, esperanche*) ; — merces visu quidem, id est corporeo et sensibili pulchritudinis percussu, incepta (*par resgart comenchie*), virtute autem et meritis perfecta (*par valoir porsievie*).

III

His paucissimis argumenta apud lyricos nostros gratiosissima quasi in compendium breviter contraximus.

Fateor equidem : si quis non percipit quantis vitiis peccent ista argumenta, caligat in sole.

Primum enim veteres lyrici, tali amoris et poeseos speciei adstricti, fundum qui lyricae poesi jure vindicandum est miro modo deminuere. Nec optatam nec expletam voluptatem, ut erotici duodevicesimi saeculi poetae, cecinere; quin etiam, exsecrabilia carmina, convitia, zelotypiae desperatos impetus, tot fecundissima nostris temporibus argumenta, sibi praecidere. Cum perpetua et necessaria exspectatione penderent, eatenus plerumque progressi sunt ut sexcenties recantarent quam durum, quam molle, quam acerbum, quam suave sit exspectatio. Nunc Amorem obtestantur ne eos inclementius debellare velit, militis instar qui inermem hostem aperta vi procul-

1. Adam, XIII, p. 53.

cat ; ne atrocius eos regat, ut eques habilis qui rebellem equum domitavit et victoriam creduliter exercet[1] ; — nunc autem crimina quibus petuntur refellunt, « laudatoribus » diras precantur ; — nunc diem exsecrantur qua primum dominam adspexere, nunc repentina palinodia eamdem celebrant diem, qua pulchrior luxit nulla ; — supplicibus verbis dominam obsecrant ut superbiam suam contundere dignetur, et, servum non longius aspernata, misero stimulum quemdam incutiat ad supplicium alacriter sustinendum.

Imo, in ejus aevi carminibus, hoc reprehendendum : stant loco, immoti et immutabiles, amans et amata; praecipue autem, domina. Credas superbum taciturnae deae simulacrum, cui, inerti et otioso, tura dicantur precesque. Movere, nec moveri videtur, amorem pati, nec redamare. Haud aliter pugnae arbiter arenam lentus spectat, certaminis vices perpendet, data acceptaque vulnera aestimat, vultu rigente, ut judicem decet, et animo immoto. — At tamen, tu ipsa victoriae pignus ! De te res agitur ! — Stat procul, remota, incuriosa, serena.

Tertio autem, istis argumentis aliquid insulsi inest fatuique, quod legentem fastidio afficit.

Densiore enim agmine catervatim decurrunt, in longiorem θεωρίαν explicantur tot aegroti aegrotationi libenter incubantes, tot saucii qui infirmam adhuc cicatricem sponte rumpunt, « ab Amore decepti[2], » « grato ducti errore[3]. » Tristes incedunt, trementes, singultim balbutientes, tanquam incantamentis fascinati[4]. Obstinantius miserantur et praedicant vicissim suum

1. Vide elegans carmen, ab incerto auctore scriptum, quod G. Paris edidit (*Romania*, VII, 95).

2. « *Meschëans d'amours* » (Ghislebertus, *Scheler*, nº 10).

3. « *Doucement engigniés* » (*Bartsch-Horning*, col. 313).

4. Adam, XI. Et la langue m'est loïe,
Ainsi que sa faërie
Me venist entour.

« amoenum dolorem » « laetumque morbum[1] », et « infestam amicam[2] », quae eos

...tenet dulci compede vinctos.

Stant in dominae conspectu ut monocerotum, omnibus quidem animantibus pertimescendum, non puellae tamen, cujus in sinu, flagrantia quadam delenitum, se submittit[3]; — sive ut phoenix qui sponte in flammas praeceps ruit[4]; — sive ut tigris speculo decepta[5]; — gravius vulnerati quam scorpionis aculeo[6]; — crudelius derelicti quam turtur a turturilla seclusus[7]; — turpius illusi nautis quae sirenes cantibus ludificavere[8]; — flagrantes ut carbo cinere occultus[9]; — languidiori desidia marcescentes cycno sub exitu vitae canente[10]; — pertenui specula illecti, ut infans qui lucentem in nocte stellam manibus prehendere cupit[11]; — devii et pererrantes ut navis magna tempestate jactata[12]; — dominae voluntati obnoxii ut navarchus stellae caelo affixae quae per immensum mare naviganti, immobilis ipsa, iter indicat[13].

Tot vitia ex uno vitio pendent, in ipsa amoris definitione

1. « *Joli mal, souffrance jolie, douce peine,* » passim; cf. Adam, II, XVII, *Mätzner*, 17, etc.)

2. « *Ma douce dame anemie* » *Arch.*, CXLV, etc...

3. Theobaldus Campaniensis, H. L., 785. — Petrus a Gandavo, Scheler[1], 3, p. 145; cf. *Arch* XX; H. L., 685, etc.

4. Theobaldus, H. L., 788.

5. Adam, XXIII; *Bestourné*, *Arch.*, XXIII, et H. L., p. 532.

6. Petrus *d'Angecort*, *Arch.* CDXX; Radulphus Suessionensis, *Mätzner*, p. 18.

7. Theobaldus, *Arch.*, CDLXVII.

8. Radulphus Suessionensis, *Mätzner*, p. 20.

9. Hugo, castellanus Atrebatentis, H. L., 617.

10. H. L., 588.

11. Brak., *Chans.*, III (Couci).

12. Brak., *Chans.*, IV (Couci).

13. Ghislebertus, Scheler I, p. 114.— Walterius *d'Espinau*, Brak., *Chans.* XXIII.

insitum : nam cum ab amante patiens difficilisque initiatio, lentus ad virtutem progressus desideretur, cum servile Amoris praeceptis obsequium exigatur, quid consectarium? Nempe apud veteres poetas Amor non animi libido habetur, sed *ars* et *doctrina*. Leguleia autem ars, formularia et scrupulosa, quae minutiores caerimonias statuit pusillaque curat, ritui, praescriptis, officiis adstricta. — Aliam quidem nostris temporibus lyricae poeseos imaginem animo concepimus : scilicet in media mundi sede locata est, tanquam orbis umbilicus, mens poetae, « mens illa crystallina, » ut recentior dixit vates, quae varias vocum rerumque imagines, ut « sonora echo » replicet. Vetus contra medii aevi lyricus, Amoris servus, in verba magistri jurare addictus, semper sui compos, non proprios animi impetus libere expromit, sed, ut ita dicam, secundas agit.

IV

Attamen, num quis infitias ibit plurimas dotes easdemque grata novitate pollentes ab hujus aetatis lyricis in nostras litteras primum adscitas fuisse et infusas?

Imprimis enim habe ante oculos feritatem istam epicorum poematum, quae sola, quoad lyrica poesis apud Septentrionales repsit, majorum nostrorum rudes animos rudibus illecebris delenivere. Respice heroica illa, grandia quidem quoties bellatricem iracundiam spirant, vulgaria autem in mollioribus pectoris sensibus exscribendis, et quasi puerilia. Occurrant tibi tot feminae rudi tironum imperitia ab epicis depictae : non uxoribus quidem alludo, nec matribus, nec generosae illi comitis Guilhelmi uxori, nec magnanimae Radulphi Cameracensis matri; sed puellas memoro, simplicissima belluinaque cupidine calentes, et quasi innocenter luxu-

riosas; tot paganorum dico filias, Maugaliam, Anselinam, Galienam, repentino feroque christianorum militum amore depereuntes[1]. Ecce autem subito, jam exeunte duodecimo saeculo, leniter spirat, a Provincia orta, aura amabilis, urbanitatis increbrescit odor : quo spiritu instincti majores nostri « posuere ferocia corda »; jam fit unctior quaedam dicendi sentiendique consuetudo; comitate limati, mollitudine humanitatis afflati, urbanis munditiis sese exercent, mitescunt immanes illi Sarracenorum debellatores; nec soli fiunt in dicendo compti, nitidi, concinni, optimates et principes civitatum, sed ipsi in Picardiae et Campaniae urbibus mercatores et propolae.

Imo autem, ecquis non percipiat quam generosum pulchri exemplar sibi imitandum nostrates lyrici proposuerint? — At enim, inquis, fucosum personatumque pulchri exemplar et a veritate remotum. — Verum esto : num unquam in ulla regione lyrici exstiterunt poetae, ingenui et candidi, adeo simplicis veritatis amici, ut nullis conventis starent? Quid? Si vel rusticis cantionibus quae « per ora virum » volitant, non merus inest veritatis color, sed artificialis? Primo quidem adspectu credas plebeia ista carmina, agrestium flosculorum instar, sua sponte ruri germinavisse, sua sponte increvisse : ea enim est sententiarum planitas, is sensuum candor ut non artis esse videantur, sed naturae. Atqui, quoniam in his quoque cantiunculis nullum argumentum reperire est quod uni terrae angulo adhaereat, imo quod uni Galliae provinciae, imo etiam quod uni Europae regioni sit religatum, cum autem unum

1. Inter tot similia heroica poemata, ea conferre licebit quibus inscribuntur : *La Prise d'Orenge, Fierabras, la Destruction de Rome, Elie de Saint Gilles, les Enfances Ogier, les Enfances Guillaume, Mainet, Floovant, Aspremont, Ernaut de Beaulande, Renier de Gênes, La Prise de Barbastre, Huon de Bordeaux*, etc...

idemque argumentum, sexcenties repetitum, sexcenties recantetur, nonne patet agrestes quoque poetas non secundum naturam, ut aves, canere, sed communes locos dictitare? Adeo rustica ipsa poesis non naturalis est, sed civilis.

Quae cum ita sint, quandoquidem conventis constat ars quaelibet et imprimis lyrica poesis, num adeo humilem et informem boni et pulchri speciem animo tenuere nostrates medii aevi lyrici? Num, dignitate saltem, romanis elegorum scriptoribus cedunt, epicureis voluptariisque? Num superati sunt, quod ad sensuum altitudinem spectat, arcessita concinnitate XVII saeculi lyricorum et frigida urbanitate? vel eleganti luxuria ab XVIII saeculi poetis appetita? Imo, ea de Amore doctrina inter ceteras eminet quae docet amorem in libera amantis voluntate residere, scilicet in cultu ab amante dominae dicato, ubi exploravit ille quam sit bona et sincera; ea pollet doctrina qua amor non in laborum mercede, sed in ipsis laboribus poninon in voluptate, sed in ipso cultu eodemque gratuito; ea praecellit doctrina qua amor, cuique pro rata parte meritorum tributus, virtutum fons habetur et principium. Ea demum doctrina non adeo infelix jejunaque esse videtur quae, ex Aquitania primum effusa et per regiones propagata, tot poetarum agmina suscitare valuit, sive in Gallia Theobaldum Campaniae comitem Adamumque Halensem respexeris, sive apud Germanos Henricum *von Veldeke* et Gualterum *von der Vogelweide*, sive in Italia Petrarcam, quae denique Ronsardi vel etiam Shakespearii lyrica carmina ultimam sobolem procreavit.

Hunc tamen pretiosissimum ex amatoria illa poesi fructum cepimus, scilicet quod, viam indicantibus vetustioribus lyricis, ad componendi eloquendique artem primum sumus excitati.

Quod quidem adeo paret ut insistere et commorari non deceat.

Primi enim nostrates lyrici nos artem compositionis edocuere. Sive epica poemata, sive illas de Arthurio rege narrationes respexeris, fluit errabundus et aequabilis tractus orationis : quippe, sententiae, nulli certo versuum numero adstrictae, quasi dilutae, libere vagantur et longius circumducuntur. Apud lyricos autem, fixo exiguoque stropharum numero in arctum coactae, strictis metricae artis angustiis compressae, quasi densantur, apte ordinantur, ita ut variae carminis partes in unum coeant.

Quin etiam, primi inter omnes lyrici nostri in eloquendi arte versati sunt, admodum raro a ceteris medii aevi poetis tractata. Primi versus composuere quorum metrica ratio non merum memoriae adminiculum esse videatur, sed per se valeat. Scilicet, rhythmi et modorum difficultate coerciti, primi senserunt multi laboris esse stylum, primi dicere presse et adstricte tentaverunt, verbis delectum adhibuerunt et animadverterunt vocabulis faciem non omnibus unam esse, utpote quae non pariter pulchra sint, nec pariter splendida, ingentia, sonora.

Inde apud lyricos industria illa verborum, inde sedulitas in recte scribendo consumpta, mira quidem si epicorum poematum auctores, ferreos illos poetas, respexeris. Jam callent lyrici operibus colores ducere, sive bellas similitudines condunt, sive primis lineis dominae effigiem designant, « flaventem comam,... et labra aemula rosis... et genarum candore mixtum ruborem... et frontem glacie nitidiorem... et ocellorum aciem. »

Num praetermittere licet eas vernalis temporis picturas, quibus, saepius quidem, non tamen adeo odiose, tot carmina incipiunt? Solerter in recentissimo opere[1] suspicatus est vir praestantissimus G. Paris lyricam medii aevi poesim e

1. *Les origines de la poésie lyrique au moyen âge, Journal des Savants*, 1892.

maiarum calendarum feriis totam defluxisse, et revera lyrici, amatoria alacritate lascivientes, aliquid vernalis festivitatis saepius retinuere. Excellunt in rure adumbrando :

Quant voi la glaie mëure
Et le rosier espanir,
Et sor la bele verdure
La rousée resplendir,
Lors souspir
Por celi que tant desir
Et aim, las! outre mesure[1].

Num in Bellaquæi vel in Racani eclogis plures locos colligas, his versibus venustiores ?

Flour s'espant, l'erbe i point drue;
La flour pert en l'esglantier;
J'amerai, se mes cuers ose!...
Mante croist, florist la rose :
Amez tuit, meillor n'i sai[2]!...

Hic agrestes habes de alauda versiculos :

Quant li rossignols s'escrie
Que mais se vait definant,
Et l'aloette jolie
Vait contremont l'air montant[3]...
... Quant j'o chanter l'aluete
Et ces menus oisillons,
Et je sent de violete
Odorer tous ces buissons[4]...

1. Radulphus Suessionensis, *Mätzner*, p. 18.
2. *Arch.* LXIX.,
3. *Arch.* CDXV.
4. *Scheler*, I, p. 158.

Hic flebilem hiemis descriptionem :

Quant li dous estés descline,
Que voi palir fuelle et flor,
Et li tens se deslumine[1]...

Nusquam quidem manus extrema accessit; vix primis lineis depicta sunt rura, avesque garruli, alauda vel fringilla, vel silvestris luscinia quae « miserabile carmen integrat », vel violaria quae oculos solvunt, et prima foliorum luxuria, et flosculus in alba spina dehiscens, et herba aprili rore madida quae sub sole aprili refulget. Velocior quidem lyricis nostris fuit in pingendo manus, segnior autem in sentiendo animus : in his tamen florum fasciculis, pristino rore uvidis, neque omnino ad hodiernam diem marcidis, aliquid novi odorari licet : nempe cum natura communicat poeta, cujus pectus, « reviviscente lauro, simul reviviscit[2], » senescente anno, pariter senescit. Hortulus, rivus, frondes, avium concentus, pauca quidem haec sunt et pusilla. Haec tamen pauca, quantulacumque tibi videntur, apud quot poetas, aliis temporibus, quanquam bonarum artium curiosis, desiderares!

Quidquid id est, quibuscumque vitiis inquinata, vel quibuscumque dotibus ornata sit lyrica medii aevi poesis, hic summam et epitomen habes argumentorum a nostratibus poetis repetitorum.

Quibus autem poetis vitio datum est quod omnium carmina « adeo inter se similia sint, ut si aliquot legeris, universa legisse tibi videaris »; nam, si plerisque credas eruditis, Radulfi Suessionensis carmina a Theobaldi Campaniensis carminibus nullo modo discerneres, nisi ad scribarum fidem con-

1. *Arch.*, CDXXIII.
2. *Arch.*, LXXVI.

fugeris qui illa poemata Radulfo, haec autem Theobaldo tribuerunt.

Enimvero hoc crimen, utpote iniquum, deprecari libet et diluere. Ubi enim nonnulla ejusdem poetae carmina, et aliquot indicia, manca etsi, de ejus vita colligere potuisti, enitet, peculiaribus lineamentis distincta, hujus poetae facies. Nicolao enim nostro testimonium denuntio : an sit servo imitatorum pecori annumerandus, inquirendum.

CAPUT QUARTUM

POETAM NOSTRUM COMMUNES ISTOS LOCOS NON SERVILITER RETULISSE, SED PECULIARIBUS VENUSTISQUE INGENII DOTIBUS EMINUISSE.

I

Longe abest, fateor, ut, quidquid Musetus composuit, novum atque ei peculiare sit. Non poterat enim non aera circumfusum spiritu ducere, neque eadem, quae aequales, imbibisse, insitaque in animo habere. Imo, cum versus, victus quaerendi causa, faceret, danda ei opera erat ut ad plurium exempla sese componeret ac vulgi studia foveret : quod quidem, ut scientiae, ita arti iniquum est. Carmina igitur ex nota formula scripsit, ne a more dissentiret. Scilicet ea quae de Arte amandi vulgata erant praecepta decantavit, ita ut, si quis velit versus ejus singulos adnotationibus illustrare, is fere omnia quae supra animadvertimus argumenta, recenseat. Assuevit, ut alii aequales poetae, de moris amori suo oppositis et de amicae inhumanitate queri ; sensit, ut alii, sibi renovari vere novo ac miserabili lusciniae cantu dolores; poetice invectus est, ut alii, in eos qui perfidis adhortationibus spem amantium frustrari solent[1] ; ut alii, professus est se non poenitendo amare[2], sed libenter et constanter, et se dolorem suum, utpote necessarium necnon gratum, fovere :

1. La gent haïe... les felons, mesdisans losengiers... »
2. « Toz jors en pardon servirai... sans repentir. »

Qui bien vuet d'Amors joïr,
Si doit sofrir
Et endurer...

Ut alii, in Amoris fide causam reposuit totam, ut servum decet, cujus dominus patrocinium profitetur :

Car fine Amors me fait cuidier
Bons servises ne puet perir.

Denique, ut alii, interdum ad desperationem adductus est, quasi in eo esset ut aegritudine consumeretur, ideoque humili atque insulsa voce dominam oravit ut sibi arrideret miseramque vitam proferret :

En mon descort vos demant
Un ris debonairement;
S'en vivrai plus longuement...

Nihil ex his novum, nihil esse verum, supersedeo dicere. Trita haec sunt, et ex locis poeseos lyricae vulgaribus sumpta, nota communi quasi signata. Nihil illi calores fidibus commissi praebent, quod non queat alius quilibet poeta, seu quod ad sententias, seu etiam quod ad verba attinet, sibi vindicare. Horum quatuor vel quinque carminum unumquemque versum versibus simillimis facile illustres, quos ab aliis provincialibus gallicisve poetis haurias. Nec operae pretium est, credo, plura exempla afferre, quae rem hac luce clariorem demonstratura sint.

Unum satis habeo proferre locum, mirum quidem : nam iis ipsis versibus quibus poeta noster privatum peculiaremque sensum exprimere et de se fateri videtur, dictata recantat.

Etenim, nemo est qui ignoret innumeros poetas a verni temporis reditu sic exordium duxisse : « Haec cecini, quia, reviviscente natura, reviviscunt simul amatoria gaudia nec non

amatorii dolores. » Neque ipse abstinuit Nicolaus quin pari ratione sua quoque poemata calamistris inureret :

Molt m'anuie d'iver que tant a duré
Que je ne voi rossignoz en bruel ramé,
Et dès que je voi le tens renovelé,
Si me convient que je soie, en cest esté,
Plus mignos et envoisiés que n'ai esté...
..... En mai, quant li rossignolet
Chantent cler el vert buissonet...
..... Or voi le dous tens repairier,
Que li rossignols chante en mai...,
Bien cuit que doie alegier
Li mals et la dolors que j'ai...

Atqui, adeo intemperanter et inverecunde lyrici lusciniola, et verno tempore, et leucacantho, et florentibus dumis vepreculisque abutebantur ut ipse Nicolaus restiterit : « Nec rosae, inquit, nec lilia, nec gladioli florentes me hortantur ut iterum canam, sed sola mea flava amica :

Rose, ne lis, ne florete de glai
Ne le me fait recommencier,
Fors la blondete, por cui je morrai,
Se mercis ne m'i puet aidier !... »

Ingenui haec sunt poetae ? Ii sunt videlicet sinceri animi sensus, non artificiosi ? Haud ita equidem. Nec solus poeta noster, nec primus inter medii aevi lyricos hoc argumentum tractaverat, jam a Provincialibus saepius repetitum :

Non chant per auzel ni per flor,
Ni per neu, ni per gelada,
Ni neis per freich ni per calor
Ni per reverdir de prada,

Ni per nuill autre esbaudimen;
Mas per mi dons en cui m'enten,
Car es del mon la bellaire.

(Rambaut, Rayn., *Choix*, v. p. 401.)

Jam longe ante Nicolaum scripserat Gualterus, antiquissimus poeta :

Amors et bone volentez
M'ont doné de chanter talent;
Et ce que voi renverdir prez
Ne m'i atraira de neant[1].

Sic Theobaldus Campaniensis profitetur flores foliaque nihil apud lyricos esse, nisi inania verba, quasi complementa numerorum :

Feuille ne flor ne vaut rien en chantant,
Que par faute, sans plus, de rimoier.

Imo denso agmine poetae certatim asseverant se canere posse vel saeviente hiemali tempestate, solo suadente Amore :

Remembranche d'Amors ne me fait pas chanter,
N'en est pas l'oquoisons avrieus ne mais,
Mais haus voloirs, sans espoir d'acevier,
Et simple vis, cors acesmés et gais[2].

Confer etiam, nisi jam te horum versuum taedet, Henrici Amionis poema :

Feuille ne flour ne m'i font pas chanter,
Ne biaus estés, n'iver quant il repaire,
Mais ma dame[3]...

vel Robertum *de le Pierre* :

1. Gualterus d'Espinaus, Brak., *Chans.*, III.
2. Guilhelmus le Vinier, *Mätzner*, 20.
3. *Mätzner*, p. 34.

Contre le douc tans de mai
Se doit chascuns esjoïr,
Mais jou, qui cuer ai entir,
En plein iver chanterai :
Pleuve et noif aussi kier ai
Con chans d'oisiaus a oïr[1].

Quid tum inde? Facetum quidem et bellum argumentum ille invenit qui in pullulantes apud aequales poetas scatentesque veris descriptiones princeps invectus est. At in medio aevo ea inerat cuilibet sententiae vel cuilibet sensui gemmandi vis, ea regerminationis et repetitionis facultas ut haec ipsa in locos communes opprobria loci communes vicissim facta sint.

Neque diffiteor cantica illa, ut parum nova, ita tamen venusta esse et lepida. Sed in iis ars deprehenditur, et ea quidem paulo injucundior, quia in aperto nobis est Musetum mercede scripsisse. Nam cum quis loco illustri ortus, sive Carolus rex Siciliae, sive Petrus « malus Clericus », dux Britanniae, versus facit, etiamsi nimia in iis similitudo taedium afferat, tamen, quia vero amori forsan resonant, voluptatem quamdam inde capimus. Licet enim id, quod fortasse re vera fuit, animo fingamus et ante oculos proponamus. Sed quid sibi vult iste miserrimi *joculatoris* in mulierem nobilem amor? quid ista jusjurando obstricta fides? Nihil aliud ista esse manifestius patet, quam verba et voces.

II

Ea igitur sunt, quae, quanquam venusta, si Nicolaus sola versibus mandasset, unus e turba imitatorum esset. Ea ipsa

1. *Mätzner*, p. 42. Cf. *H. L.*, 643; *Arch.*, XLIII, CI, CLXXVII, CCCXXXIII, CCCL, CDXLIX, CDLXXX, etc.

tamen id tuetur, quod sua ipsum non fallit cantilena, cavetque ne sibi ipse det verba. Suspiria quidem bona fide, ut videtur, et alto pectore ducit; quod si propius accedas, subridet, labris ac vultu toto facetus :

Las ! je muir por bien amer,
Amoreusement morrai !...

O miserum hominem ! — Audi vero sequentem versum :

Je ne cuit pas ensi morir...

Quid est cur moriatur? Confidit nempe se mox in gratiam amicae rediturum, postquam fidem suam cognitam illa ac spectatam habuerit.

Pleraque enim argumenta, ab aequalibus in lyricis poematis tractata, ita refert ut dixeris ea minime illi esse curae, et ab eo tanquam oliena esse. Nihil horum videtur sui juris fecisse, nihil de suo et ex animi sententia explanasse, nisi ea quae ad *gaudium* spectarent. Neque id *gaudium* dico, quod supra definivi, quod est quasi sublimis totius et animi et corporis impetus, quo et desiderium, et aegritudo, et morae, et quidquid amica benignius indulsit, subito in jucunditatem convertatur. Non ita : hoc tantum sibi habet gaudium et magni facit, quod ex vita et ea quidem commode acta redundat. « Ama et laetare » : ea tunc amandi praeceptoribus, nostratibus lyricis, visa est sapientia. Id Museto quoque placuit, at simpliciter, nulla exquisita difficultate, ut qui totus in comissando esset, ad id tantum intentus, ut sibi morem gereret :

Ja de joie faire ne serai eschis...
... Car a grant joie
Vit et s'esbanoie
Cui Amors maistroie !

Amat autem, ut canat genioque indulgeat :

L'en doit bien por li chanter,
Et renvoisier et joer,
Et son cors tenir plus gai,
Et de robes acesmer,
Et chapel de flor porter
Ausi com el mois de mai.

Sic Musetus amatorias cantiones propria nota signavit. Insurgit quidem aliquando, et sublimia argumenta amplificare studet, sed parum instinctus, tanquam sibi ipse non credat : dulcia vero, voluptates, amoris gaudia, haec fuere ei cara, haec vitae oblectamenta. Plus amat ridere quam canere, plus illudere quam illudi : non homo est sine sapore.

III.

Neque eo risu contentus est quem, cum vix diducantur labra, conjectura tantum augurari possis. Fit interdum ut carmen vel gravissimum repente ad imitationem ridiculam vertat. Hic dolet, se somni inopem miseratur, sibi mortem remedium esse malorum mox fore praedicat : at desinit in piscem.....

Ma bele douce amie,
La rose est espanie;
Desous l'ente florie,
La vostre compagnie
Me fait molt grant aïe;
Vos serés bien servie
De crasse oe rostie
Et bevrons vin sor lie,
Si menrons bone vie.

Illic pomarium, in quo visa est ante oculos adstare puella

inter flores, cui fidibus canit, poetice depictum, subito turpi comissatione foedat.

Ista clausula, qua nonnulla ex ejus carminibus conclusa sunt, quasi subscriptio iis est. Sic ea *joculator* noster videtur obsignasse, ut ostentaret se sibi ipsum non imponere. Certo scit nihil ad se illum amorem pertinere quem quaestus gratia fidibus atque modis celebrat; itaque ut eum rite et ex disciplina laudat, ita tamen repente adhibito joco eum ludibrio habet.

Quod quidem in illo praesertim carmine[1] apparet ubi se cum Jacobo Ambianensi disputantem inducit (XI). Jacobus eum orat ut sibi scrupulum ex animo evellat : se scilicet jamdiu amare, et dominae, ut amicum decet, servire; sibi gratiam ab illa specie quadam suavitatis referri; timere tamen se, ne se illa ludibrio habeat. Quid faciat? illam ne dimittat? — Praeclara sane occasio erat instituendae, quod tunc moris erat, controversiae, qua poeta Amoris partes tueretur, perferendos esse amanti aequo animo dolores gravissimos, etiamsi laboraret zelotypia, contenderet. Tantum abest ut ad id intendat Nicolaus; hanc occasionem rapit ad jocandum, ut homo est animo hilari et ad jocos prompto : « Pauper es, inquit, o bone. Si illustri loco nata est, quam amas, operam perdis; sin autem humili, etiamsi sit ditissima, non te amabit, nisi bene peculiatus eris. Mihi vero ista valeant; ego resipui, et ad capos pingues placentasque mellitas me refero; scitamenta, bellaria, lignaque his mensibus hibernis super foco reposita, meae sunt deliciae, mea cura, mea voluptas :

Faites ensi, si menrés bone vie! »

1. De hoc poematum genere (gallice *débat*, non autem *jeu-parti* appellato), perraro nostris lyricis usitato, Jeanroy luculente, ut solet, disseruit. (*Orig.*, cap. II.)

Hoc igitur in amatoriis carminibus sibi proprium ac peculiare Musetus habere videtur, quod nescio quid in iis vere *gallicum* sonat, et insitam genti nostrae hilaritatem refert. Finge haec carmina modo graviore, qualis est hymnorum sacrorum, decantari, ut mos erat : ista modulatio, lenta, seria ac gravis, ista numerorum varietas, ista disserendi subtilitas, cum subito, coorto risu facetiisque, interrumperetur, quonam modo animos audientium affectura erat! quae vis inde comica!

IV.

Illud praeterea notandum Musetum poemati amatoriis, quae quidem nobilis poeseos forma est, usum esse ut gaudia ac molestias vitae suae exprimeret. Attende enim celebratum carmen, quod sic incipit :

Sire cuens, j'ai vielé
Devant vos, en vostre ostel...

Nemo unquam apud nos exstitit, inter scriptores, qui manum ad stipem elegantius porigeret, ac libertate urbaniore in mendicando uteretur. Nonne enim et ipse et tota illa epicurea *joculatorum* secta, vividius quasi expressa, his versibus spirat?

L'en m'apele Colin Muset :
S'ai mangié maint bon chaponet,
Mainte haste, maint gastelet,
En vergier et en praelet;
Et quant je puis oste trover,
Qui vuet acroire et bien prester,
Adont me prent a sejorner
Selonc la blondete au vis cler.
N'ai cure de roncin lasser

Après mauvais seignor troter :
S'il héent bien mon demander,
Et je, cen t tans, lor refuser ![1]

Nonne haec vere digna sunt quae a Clemente Maroto scripta fuissent ?

Jocosa quidem sunt, non sordida : vis in his epicurea est, vena uberior, eademque incorrupta. Lege etiam illud festivum quo pauca sunt in hoc scrinio venustiora :

Encontre le tens novel...

« Omne gaudium mihi cordi est, ait, sive pueri puellae-

1. Nusquam apud medii aevi lyricos ejusdem generis carmen mihi occurrit, uno tamen excepto, simillimo quidem, quod Jeanroy princeps edidit (*Orig.*, p. 505.) Cum autem, asserente doctissimo illo artismetricae aestimatore, Nicolaus, solus inter medii aevi lyricos, hanc simplicissiman stropharum rationem adhibuerit (aaaa, bbbb) fortasse sententiae a Jeanroy latae assenties, quippe qui hoc quoque carmen poetae nostro adscripserit. Hi sunt de quibus agitur versiculi :

« Quant je voi iver retorner,
Lors me voudroie sejorner,
Se je pooie oste trover
Large, qui ne vousist conter,
Qu'eüst porc et buef et mouton,
Maslarz[1], faisanz et venoison,
Grasses gelines et chapons,
Et bons fromages en glaon.
Et la dame fust autressi
Cortoise come li mariz,
Et touz jors fëist mon plesir
Nuit et jor jusqu'au mien partir,
Et li hostes n'en fust jalous,
Ainz nous laissast sovent touz sous,
Ne seroie pas envious
De chevauchier toz besoignous
Après mauvais prince angoissous. »

1 *Maslarz*. Jeanroy ad fidem codicis scripsit : *mas*, *larz*. De quibus vocabulis, miris quidem, dixit : « Je ne comprends pas ce mot : *mas*. Est-ce *magis*, ou notre mot *mets* ou encore le mot *mais*, que Godefroy cite sans le traduire et qui paraît signifier *graisse ?* » — Imo intellige : *maslarz*, scilicet : *anates*.

que, coronati tempora floribus, choros agitant, et ad tibias tympanaque dicunt cantica, sive miles in certamine calcaria subdit equo ac lancea strenue hostem ferit... » Quod si totum carmen relegas, et ex iis sententiis, quae parum inter se cohaerent, ut decet lyrica, et ex illo calore, nescio quid Horatianum redolet :

...Ut melius quidquid erit pati,
Seu pluris hiemes, seu tribuit Juppiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum! Sapias, vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces! Dum loquimur, fugerit invida
Aetas! Carpe diem, quam minimum credula postero!

V.

Quid vero? Hilaritas, vis, risus, haec omnia lepidi hominis sunt, atque, ut dicitur, festivi capitis potius quam poetae.

Sed interdum altiore quodam instinctu Nicolaus tactus est. Duo sunt carmina, quibus ei litterarum generi, quodam modo vulgari et trito, quod ad pastores spectat (gallice : *pastourelle*), decus addiderit. Illa profecto idyllia, quibus miles puellam ovium custodem amans inducitur, dum haec per jocum resistit, pastor contra rivali dolet, exquisita plerumque arte composita sunt, ita ut haud facile discernas utrum magis admiranda sit similitudo ista, quae generi ipsi inhaeret, an mira illa diversitas, qua in operum coloribus variandis poetae nostri usi sunt. Utcumque res se habet, semper ante oculos rustica puella cum ovibus apparet. Hoc autem apud Nicolaum novum est, quod *Marionem* et *Robinum*, *Perrinettam* ac *Perrinum* missos facit. Mensis quidem apud eum quoque maius est, ver novum, hora matutina, pomarium floribus distinctum, ubi avium cantu e

somno excitatus salignas fistulas vellit, « quibus ii soli modulari sciunt, qui vere amant. » Sed, ut idem locus est, eadem hora, ita aliae personae, aliae res. Nihil humani in iis quae sibi videtur et audire et videre : fit ei obviam non puella cum ovibus, sed agrestis dea quaedam, qualis in poetarum somniis aut in commentis fingi solet. Visio est, nequaquam ad veritatem accedens ; orat eum, ut sibi fistula canat. Nihil in vestitu, nihil in ornatu, nihil in ea ipsa quod in terris cernatur : smaragdis tecta et sapphiris, nivea, rosea, toto corpore splendet. Sedet ad rosetum, fulget ut Lucifer. Ipse hanc contemplatur, et canit. Interea, dies aufugit. Evanuit puella, rege aliquo fabuloso prognata; quam iste miser *joculator* in suam portentosam patriam vult sequi.

Quod si haec tantum poemata Musetus scripsisset, vere esset poeta. Nihil est enim, quod sciam, in lyricis apud nos, illa aetate, quod cum iis carminibus conferas, nisi quod Bartschius edidit[1], majore etiam ea quae nusquam sunt animo concipiendi facultate commendatum, carmen scilicet illud :

Qu'uns vilains ne fist mie,
Ainz le fist un chevaliers
Soz l'onbre d'un olivier,
Entre les braz s'amie.

Hic quoque poeta virginem mira specie tanquam in somniis videt, in equo sedentem, gladiolis ac vernis floribus vestitam, zonaque frondea, quae, humescente tempestate, virescit :

— Bele, dont estes vos née ?
— De France sui, la loée,
Du plus haut parage ;
Li rossignols est mon pére

1. B. *Rom.*, 28 ; cf. 29. 30, 30a.

Qui chante sor la ramée
El plus haut boschage;
La seraine, elle est ma mére
Qui chante en la mer salée
El plus haut rivage.. ..

Nunc autem, quaeso, num fuit Nicolaus unus e multis?

CAPUT QUINTUM

DE CONONE BETHUNIENSI CUM NICOLAO COMPARATO

Non plus decem cantiones hujus poetae exstant, in summa versus quadringenti[1] : pauci quidem, si de ingenio poetae existimare velis. Atqui, si Cono, cum Nicolao collatus, imaginem poetae nostro proxime similem refert, si versibus illis paucissimis nihil videtur inesse quod ingenium ad carmina condenda praeditum significet, si fragmenta Cononis poematum, trunca licet, neque novitate quadam neque peculiaribus virtutibus unquam nos ad admirationem compellunt, fatebor ipse et concedam : omnes prorsus medii aevi lyrici, per saeculum unum et dimidium, unam, ut ita dicam, et eamdem cantionem versibus semper rescripserunt.

Siquidem, ut ex historiae monumentis percipi potest, Cono ille Bethuniensis, inter *Sully* nostri propatruos annumerandus, non fuit homo sine sapore, comptus et pulchellus, versiculorum ante omnia studiosus. Fuit contra vir fortissimus, vere dignus qui eodem bello, quo Gaufredus de Villaharduini, militaverit. Eorum militum qui Orientale imperium in potestatem suam viriliter redegerunt quasi exemplar exstitit. Juvenis adhuc, cum aequales ad bellum Saladino denuntiandum mordacibus et aculeatis carminibus movisset, anno MCLXXXVII Philippi Augusti commilito fuit, et confecta brevi infaustaque militia, cum rege in patriam victus rediit. Sed ubi primum

1. Optima usus sum editione a juveni eodemque eximio erudito Axel Wallensköld nuper procurata (*Chansons de Conon de Béthune, édition critique*, Helsingfors, 1891).

occasio data est, sese indicavit qui « fidem Deo datam », ut objiciebat Hugo de Ociaco, « fallere » non vellet, neque in heredio suo « turpiter aetatem degere », neque « crucem suam, bello sacro destinatam, intactam recondere », verum « pro Deo alacriter mori[1] » instituisset. Revera, simul ac comes Balduinus milites ad bellum conscripsit, crucis signum Cono pectori suo infixit a. d. VIII Kal. mart., anno MCC. Jam tum nomen ejus, in Gaufredi de Villaharduini libris chronicis, saepenumero nobis occurrit.

Scilicet Gaufredus, etsi in laudibus parcus, Cononis nomen inornatum nunquam commemorat, semper autem ei laudem quamdam, Homeri more, apponit : nunc Cono « bonus miles », nunc « sapiens » aut « eloquentissimus[2] » nuncupatur. Fuit enim, ut in consiliis sic in bello, praeclarus ; fuit, ut alterius cujusdam scriptoris verba usurpem, « vir domi militiaeque nobilis et facundus in paucis[3]. »

In bello enim, gravissimos labores, quos et commilitones, a Zara usque ad Andrinopolim strenue perpessus est, sive post captam Constantinopolim urbis castella custodire jussus est (§ 268) ; sive e christiano exercitu agmen unum Didymoticam duxit (§ 377) ; sive commilitonem Renerium opitulatus, qui

1. Haec sunt opprobria ab Hugone de Ociaco in Cononem objecta :

Or menrez vos honteuse vie ci ;
Ne volsistes por Deu morir joianz...
Molt fu Quenes proz quant il s'en ala...
Or est venus son liu reconchier...
Bien puet sa crois garder et estoier,
Qu'encor l'a il tele qu'il l'en porta.

(Brak., *Chans.*, p. 56.)

2. Coenes de Bethune qui bons chevaliers et sages estoit et bien eloquens... (§ 144, in ed. a *de Wailly* curata) ; Coenes de Bethune sages chevaliers et loials (§ 574).

3. V. Petri *d'Outreman Constantinopolim belgicam*, 162. (Wallensköld, *op. laud.*, p. 24.)

in Stenimacon obsidebatur, liberavit (§ 435, cf. § 469); sive etiam captam Andrinopolim cum centum militibus servandam accepit (§ 496). Imo, stat ante oculos, ab Henrico de Valentianis depictus (§ 390), Cono atrox miles, armatura gravi indutus, fortiter equo persedens, vi frigoris perustus : nam cum bellum operose cum Lombardis gereretur, « Cono Bethuniensis iis mala precabatur qui commilitones tanto discrimini objecerant, contendebatque eos vitae futurae gaudia commeruisse, qui, gelu quasi rigentes, tantos pro Deo cruciatus tolerabant. »

In consiliis autem, meritus est ut disertus appellaretur (*bien eloquens*), qua laude raro alius ante, in gallica saltem lingua, ornatus erat [1]. Fuit autem, ut videtur, in dicendo, asper immitisque. Quoties enim commilitones oratorem callidi prudentisque ingenii desiderant, ad Gaufredum de Villaharduini potius recurrunt; quoties autem res promptum ad asperiora virum poscit, impotentem et nimium animi, Cononem advocant. Cum enim Alexius tyrannus legatum misisset qui milites sacros ad pugnam lacesseret, Cono, suadentibus ceteris ducibus, se erexit, eumque iracundius respuit. Alio tempore, cum quinque belli sociis electus est qui imperatorem in Constantinopoli provocaret. In dubiam sane aleam ibant, armis cincti, per infestam urbem; palatium tamen ingressi sunt. Sedebant soliis imperator Alexius ejusque pater Isaacius; inter quos uxor imperatoris, soror regis Hungariae; circumstabat optimatum turba. Tum Cono Bethuniensis : « Nos, imperator, ad te miserunt exercitus principes et Venetiae dux : quos scias oportet operam tibi a se navatam crimini vertere... Etenim te

1. Vix incepto sacro bello, unus fuit e nuntiis qui a Balduino comite ad Venetianum ducem missi sunt; posterius et ille de pace cum Lombardis egit, cumque Michali, Epirota tyranno (v. Henricum de Valentianis, § 692).

saepius rogaverunt, et nos nunc, eorum mandata secuti, te iterum rogamus, coram omnibus, ut pacto stes, uti inter te et eos convenerat. Cui si steteris, omnia recte se habebunt; sin aliter, scias eos in posterum te nec pro domino, nec pro amico habituros. Quod diximus, audivisti; consilium autem, uti placebit, capies. »

Nonne Cononis legatio, tam ferociter peracta, memoriam redintegrat epicorum poematum, in quibus, ut Cono imperatorem, sic et Wenilo Marsilium et Guido Burgundiensis Balantem, africanum regem, provocant?

II.

Ergo, cum talem se virum in rebus gestis praestiterit, inspiciamus nunc qualem de se ipso in versibus imaginem reddiderit, utrum poetica vis ejus singulari hominis indoli par sit et consentanea, an nulla propria et peculiaris ejus effigies in carminibus emineat. Fatendum enim : si vir animi minime vulgaris nihil aliud quam vulgares cantiones cecinisse nobis videbitur, neque affectus expressisse nisi communes omnium et obsoletos, concedam universos medii aevi lyricos, fatali quadam fortuna, pertrita vulgaribus verbis carmina composuisse.

Equidem, si quis in hanc aut illam Cononis cantionem incidat, vereor ne primo adspectu paulo iniquiorem de poeta nostro sententiam ferat. Et revera demiramur eum amori sane insulse indulgere : credas non virum castris militiaeque assuetum, sed unum e multis amasiunculum de amore suo queri; quin et mortem, utpote gaudium allaturam, votis arcessit (I) :

Ke tant desir se merite
Ke cheste mors me delite...

Imo etiam, cum amorem dominae declarare in animo habet, contremiscit; ea praesente, vox haeret, quaeque ipse nuper excogitaverat verba loqui conantem subito deficiunt; similem dicas homini latrunculis ludenti, qui quidem, ut ipsius verba usurpem (II), cum ipse non ludit, ludentibus optime consiliari solet, cum autem hos pro virili parte in aleam provocat, in extremas angustias redigitur. Alteram accipe similitudinem :

> Encor devis coment je li dirai
> Le grant dolour ke j'en trai sans anui,
> Ke tant l'aour et desir, cant j'i sui,
> Ke ne li os descovrir me raison ;
> Si vait de moi com fait dou campion
> Ki de lonc tens aprent a escremir,
> Et cant il vient ou camp as cous ferir,
> Si ne set rien d'escu ne de baston.

Versus inertes et adolescentulo dignos, qui verecunde coram domina tacet, si perlegeris, nonne ferocia illa Cononis petulantiaque recurrunt verba, quae in aula constantinopolitana, sui capitis periculo, alacriter et superbe proferebat?

III.

Quid tum? Num Cononem poetae cuilibet hujus aetatis, vel Nicolao Museto vel Jacobo Ambianensi, aequiparabimus? Imo, poeticum ejus ingenium rebus security feprociter gestis respondet.

Nempe, ut praetermittamus carmen illud facetum, sine acerbitate salsum, quo comitissam Campaniae et reginam Ludovico VII orbam lacessit, quia oppidanum poetae dicendi genus irriserant (III), certum est imprimis cantiones istas quas de bello sacro condidit, « diviniore mente » plenas esse; in illis enim spirat adhuc virilis ille animus, quo instinctus strenuum

se ac fortem in pugnis apud Stenimacon et Andrinopolim gessit; hic tandem virum, hic militem agnosces. Saepius quidem dicitur, nec nos fallit, cantiones easdem illas de bello sacro, in quibus amans amicae gemens maledicere splet, commenticias esse. Vulgaris haec, ut aiunt, et pervagata declamatio! Quis autem subridere velit, si meminerit minime commenticios esse Cononis versus, qui revera Accon profectus fuerit, et posterius arma Graecis, Blachensibus et Lombardis intulerit? Quin imo, si tot et tanta discrimina memoria repetieris, hos versus non sine admiratione quadam et misericordia perleges (IV) :

Ki chi ne veut avoir vie anoieuse,
Si voist por Deu morir liés et joieus,
Ke chele mors est douche et savoreuse
Dont on conkiert le regne prechïeus,
Ne ja de mort n'en i morra uns seus,
Ains naisteront en vie glorieuse.
Ki revenra mout sera ëureus :
A tous jours mais en iert honours s'espeuse.

Hoc saltem pro certo habeamus, nunquam materiem scribendi ampliorem poetis propositam fuisse quam in illis carminibus quae circa bellum sacrum versabantur. Ea enim tempestate novos animi motus rerum et bellorum vices ex imis praecordiis quasi ex vivo fonte elicuerunt. Tunc primum poetarum animum in contrarias partes distraxerunt hinc cupido, illinc officium, hinc terrestris, illinc divinus amor; ex quibus scilicet molestiis et perturbationibus novus poetis additus et penitus infixus dolor; hinc, suadentibus veris animi cruciatibus, didicerunt sincere flebilia carmina effundere et ipsa aegritudine pectus aluerunt. Non igitur declamationem, non ampullas jure quis objiceret poetae ingenuo, qui, in lacrymas effusus (*ploranz*

des ieus du front), amicae absentis desiderio affectus, versus suos condidit (V) :

On se doit bien esforchier
De Deu servir, ja ni soit li talans,
Et le car fraindre et plaissier,
Ki tous jours est de pechier desirans;
Adont voit Deus le double penitanche.
Hé, las! se nus se doit sauver dolans,
Dont doit par droit me merite estre grans,
Car plus dolens ne se part nus de France.

IV.

His autem dotibus se praecipue a vulgo eximit Cono Bethuniensis quod, quamvis exquisitam illam de arte amandi doctrinam, ab Aquitaniae lyricis excogitatam, perbene cognosceret, eam tamen sponte sua, necnon sine voluptate quadam, violavit.

Nam, ut exempla afferam, rationem reddidi cur deceret amantes exspectare semper, atque id laeto animo, neque liceret unquam eos, etiamsi spes falleretur, invidia in amatam furere. Devovet nihilominus Cono in omnibus fere carminibus dominam (VI, VII, VIII, IX, X) :

Tant ai amé qu'or me covient haïr,
Et si ne kier mais amer,
S'en tel leu n'est c'on ne sache mentir,
Ne decevoir, ne fausser. (VIII.)

Qui versus, etsi, ab immiti illo Conone scripti, non admirationem movent, apud poetam tamen amatoriis versibus deditum in miraculo sunt. Horum enim, de quibus supra

diximus, poetarum, unusquisque se Amoris servum[1] profiteri solet, qui Amori neque prudenter neque insane[2] obsistere velit. In diversa transit Cono, quippe qui, postquam operam Amori, ut servus bonus, navavit, eum nunc insidiosum declaret, imo in praelium vocet (VI) :

Amours, de felonie
Vos vourai esprover :
Tolu m'avés la vie,
Et mort sans desfier !...

Praeterea, conculcare et proterere videtur praecepta amatoriae artis, cum dominam, non sirenis, ut aequales solent, nec stellae matutinae comparat, verum lupae « quae, inter omnes silvae lupos, pessimum eligit » ; aut cum, dira eam et plena doloris exsecratione prosecutus, exclamat : « Praeduram equidem terram, arentem et sitientem, exercui : unde nullum fructum carpam, nullum folium, florem nullum » (VI). Quin etiam, in eam petulanter et contumeliose invehitur, probra ingerit :

Fausse estes, voir plus ke pie,
Ne mais pour vous
N'averai mes ieus plorous... (VII)

Legas, si libet, cantionem quae sic incipit (IX)

L'autr'ier un jor après la Saint-Denise...

in qua opprobria recantat ; vel potius carmen X :

Par Deu ! Dame, j'ai bien oï parler
De vo biauté, mais che n'est ore mie ;
Et de Troie rai-jou oï conter

1. « Homme lige d'Amors... »
2. « Ne faire contre Amors ne sen ne folie. »

K'ele fu ja de mout grant seignorie.
Or n'i puet on fors les plaches trover...

Adeo, vel in amatorio carmine, satirici poetae Cono, ut atrocem ejus animum decet, partes agit.

Nonne igitur vere dici potest Musetum Cononi Bethuniensi, et utrumque aemulis non esse similem, nisi ut Tibullus Propertio similis est vel Bellaius Bellaquaeo?

CAPUT SEXTUM

DE SERMONE NICOLAI ANIMADVERSIONES

Utrum omnia quae infra excusa publicavimus carmina nostro poetae jure, an prava scribarum temeritate adscripta sint; imo etiam, utrum iis indiciis, quae de Nicolai dialecto colligere licet, indicia jam supra de ejus patria et tempore relata corroborentur an infirmentur, insequentibus nonnullis animadversionibus pro virili parte nostra percontari libet.

Quoniam Nicolai nomen in ipso quatuor carminum textu insertum occurrit (scilicet in carminibus I, IV, X, XI), si modo respexeris scribas inertius plerumque operi incubuisse quam ut ex libidine versus refecissent et, ad majorem poetae nostri gloriam, Museti nomen carmini inclusissent, sane concedes haec saltem quatuor poemata a Nicolao exarata fuisse.

Cum autem cetera octo carmina auctori nostro assignemus scribarum fide qui codicum margini ejus nomen, forsitan temere, inscripserunt, ambigitur an ea poemata Nicolaus jure sibi vindicare possit[1].

Quae cum ita sint, quaestiuncula nobis sic instituenda est ut consonantes versuum exitus in quatuor carminibus Museto jure fidenterque adscriptis seorsus glomeratos conferamus cum consonis ceterorum carminum vocabulis.

1. Quaedam carmina codicibus Nicolao adjudicata sunt omnibus; quatuor (III, VI, VII, VIII) poemata codex bernensis B^2 signatus Nicolao, parisinus autem liber Pb^{12} signatus incerto auctori imputavit; nullum autem e duodecim carminibus diversi codices diversis auctoribus (ut saepe accidit) tribuere.

Si autem, haec et illa poemata, has illasque voces comparanti nulla apparet, quod ad dialectum pertinet, discrepantia, verisimiliter praesumes scribas, in assignandis auctori nostro poematis, non erravisse.

Atqui non contingit ut quaestionis istius fundamenta per solidum subdamus. Multa enim consonantia vocabula parum significant, quia nihil testificantur, nisi universas veteris sermonis leges, longe lateque diffusas, nullius proprias provinciae, quas percensere et referre supervacuum habeo.

Haec pauca aliquid momenti habere videntur :

I) Ex carminibus I et X percipitur discrimen vocum *ant*, *ent* a potea nostro non servatum fuisse (*mignotement*, *loiaument* : *riant*, *chantant*, *tant*; — *rent* : *avenant*, *parlant*, *demant*, *creant*). Eamdem vero vocum confusionem in poematis animadvertes quae, scribis credentes, utpote solis testibus, Nicolao Museto adscripsimus (Cf. carmen VII : *gent*, *acointement*, *autrement*, *neient*, *argent*, *malement*, etc... : *comant*, *metant*, *joiant*, *vaillant*, *aiemant*, *maintenant*, *vivant;* cf. carmen VIII : *briement*, *debonairement*, *longuement*, *torment* : *grant*, *chaçant*, *demant*, *chant*).

II) Cum ex carmine I pateat Nicolaum vocem *oi*, longa *e* vel brevi *o* prognatam, et vocem *oi*, ab *au* + *i* oriundam permiscuisse (*joie* : *soloie* : *moie* : *prendroie* : *menoie* : *voie* : *dognoie* : *joie* : *cointoie* : *conroie*), hoc idem in carmine III deprehendere licet (*soie* : *reflamboie*, *joie*), idem in carmine VII (*chanteroie* : *menroie* : *voie* : *soie* : *otroie* : *donroie* : *chastoie* : *vaudroie* : *feroie* : *metroie* : *soie* : *devoie* : *monoie* : *prieroie* : *enroie* : *recroie*), et in carmine VIII (*voie* : *joie* : *revoudroie* : *moie* : *joie* : *esbanoie* : *maistroie*.)

III) An apud Nicolaum triphthongus *iée* in diphthongum *ie* coaluerit, in verbis scilicet legi a Bartschio dictae asservatis, primo adspectu anceps.

Nam in carmine X, quod Nicolaus nimirum scripsit, sexdecim reperire est versuum clausulas, ad exemplar verborum *amie*, *espanie*, *florie*... informatas, nulla autem participia, in triphthongum *iée* terminata. Pari autem ratione poemata conferenti quae sola scribarum fide auctori nostro sunt assignata, octo occurrunt in carmine tertio vocabula, undecim in carmine quinto, quinque in carmine octavo, sexdecim in carmine duodecimo, in totum sex et quinquaginta vocabula quae omnia non participialium verborum ut *brisie*, *huchie*, *chaucie*, *correcie*..., sed vocabulorum *acomplie*, *mie*, *Surie*, *vie*, *seignorie aïe*, *envie*, etc... similitudinem referunt.

Atqui in poetico certamine a Nicolao et Jacobo Ambianensi incepto (XI), inter vocabula *servie*, *mie*, *aïe*, *druerie*, *fie*, *departie* participium *proiie* non sine admiratione quadam offendes.

Num a se ipso dissidet Nicolaus? Minime equidem; nam stropham cui vocabulum *proiie* insertum est non Nicolaus condidit, sed is quicum certabat, Jacobus ille, qui legitime, utpote ab Ambianis oriundus, triphthongum *iée* contrahebat.

IV.) Si poemata Nicolao tum certe cum incerte tributa respexeris, ex pluribus versuum clausulis patet diphthongum *ai* in unum sonum *e* non coalescere, id est vocabula *muset*, *matinet*, *verdet*, *ameroset*, *met* et vocabula *fait*, *lait*... non eumdem referre in cadendo sonum, nec vocabula *pucelete*, *amorete*... vocabulumque *deshaite* similiter desinere.

V.) An verba in litteram *s* et verba in litteram *z* desinentia apud Nicolaum pariter consonuerint, e quatuor carminibus ab eo nimirum compositis nulla praesto est dijudicandi facultas. In carmine autem II, inter plura nomina in litteram *s* finita (*eschis*, *vis*, *mis*, *avis*, *pris* (*prehensus*), *jolis*, *amis*, *devis*, *ris*, *jolis*, *plevis*, *Paris*, nomen *priz* (*pretium*) offendes, quod

in litteram *z* exit. Inde conjectura augurari licet utramque vocem apud Musetum pariter sonuisse, quanquam in carmine V nomina in *s* desinentia, exclusis ceteris, consociantur (*chetis*, *vis*, *entrepris*, *paradis*).

VI.) In nominibus per *-ellum* et *s* exeuntibus, littera *l* non in vocalem conversa est, ut apparet ex verbis *broutels*, *oisels*, *bel*, quae in versuum clausulis cum verbis ut *estel* coeunt.

VII.) Syllabarum numerum uniuscujusque versus computanti constat vocalem *e* pertinaciter perstitisse, in verbis scilicet ut *trichëor*, *mentëor*, etc...

VIII.) Adde quod regulae quae ad nominum verborumve declinationem pertinent strictissime ubique servatae sunt, uno excepto versu (XII) :

Et ge qui sui bien paré,

ubi tamen formam *parés* legere potes, cum saepius in hoc carmine poeta ultimas syllabas inter se non plane consonas admiserit.

Quorsus haec pertinent? Nempe iis emanat indiciis, quanquam haud adeo certis, nihil obstare quin duodecim de quibus agitur carmina uni et eidem poetae adjudicemus. Imo, iis animadversionibus ea confirmantur quae de Museti natali origine et tempore supra sumus augurati. Scilicet dialectos illa quam in iis poematis deprehendimus, non privatissimis signis peculiariter distincta, sermonis Campaniensis speciem exprimit, et cum sermone Christiani Tricassensis satis consentit. Cum autem leges quae ad declinationem spectant incorruptae et integrae perstiterint, fit verisimile ea poemata incipiente tertio decimo saeculo scripta fuisse.

Hoc igitur stabilito, quam decet in edendis hisce carminibus rationem potissimum sequi, quod ad singulorum vocabulorum formam scripturamque pertinet?

Quoniam satis constat Nicolaum a Campaniensibus ortum esse, hoc mihi primum proposueram ut hujus editionis formas ad imitationem veterum chartarum in Campaniae vulgari sermone exaratarum informarem. Haud aliter egit vir doctissimus *de Wailly*, cum alterius Campaniensis scriptoris, Johannis *de Joinville*, opera recognovit. Hanc tamen agendi rationem, utpote controversam, abjeci; his enim artibus tum Nicolao, tum Johanni *de Joinville* forsan officies, nedum prosis. Quippe, minime nobis exploratum est Johannem illum, Ludovici IX familiarem contubernalemque, regiae domus Lutetiae, regii tabernaculi in Aegypto sectatorem, idem oppidanum et agreste dicendi genus retinuisse quo domi utebantur miseri scribae, in campaniensi quodam pago clausi, et natali solo quasi haerentes. Sane non idem subridiculum discrimen tentavisset vir ille urbanissimus Johannes quod Cono Bethuniensis subierat, cujus inquinatum sermonem illuserant Galliae rex et regina[1]. — Sic de errabundo nostro poeta, qui dum per diversas regiones vagabatur, inurbanum natalis viculi dicendi genus dereliquit, et κοινὴν διάλεκτον quamdam, ut puto, adhibuit.

Enimvero, illo abjecto consilio, modestior securiorque edendi ratio sese offert, in hoc posita ut codicum scripturam strictim referamus.

Quam tamen scripturam referemus, quandoquidem octo codices Nicolai quae supersunt opera tradidere, nullus autem quae supersunt omnia? Videlicet ille codex eligendus qui numero carminum reliquos superat : itaque octo carmina, celeberrimo codice bernensi (B[2] ab eruditis signato) tradita, quam fidelissime ad codicis fidem exscribes, ea tamen lege ut naevos abstergas et critico apparatui discrepantiam scripturae

1. *Chansons de Conon de Béthune*, ed. Wallensköld, p. 223.

ceterorum manuscriptorum adjicias. Quod ad reliqua Nicolai carmina spectat, quatuor numero, in dubio positum utrum singula vocabula ad exemplar codicis bernensis, quod ad res orthogtaphicas, restituenda sint, an in unoquoque carmine edendo, alii quidam codices sint eligendi, quorum scripturam referas.

Porro, si quis nunc eum, nunc illum codicem assectatur, versicolorem nec sibi satis constantem textum instruet; atqui nihil obstat quin edendi rationem non adeo servilem inertemque sequamur : nam (sive rectam, sive pravam, sive criticam, sive ad fidem manuscriptorum exscriptam orthographiam constituero) philologis nihilominus licebit in apparatu critico omnium codicum discrepantiam reperire.

Si quis contra omnium poematum orthographiam ad exemplar unius codicis informare vellet, ejus scilicet codicis qui plura nobis tradidit poemata, perbene quidem faceret, nisi adverso quodam casu de bernensi isto codice ageretur.

At, ut bene notum, librum illum bernensem, ceterum pretiosissimum, scriba hirsutis spinosisque sermonis Burgundiae formis ita obstruxit ut hanc horridam vestem poetae nostri versibus induxerit :

> Mout m'anue d'iver ke tant ait dureit,
> Ke je ne voi roisignoz en bruel ramer,
> Et des ke je voi lou tens renouveleir,
> Si me convient ke je soie en cest esteit
> Plux mignos et envoixiez ke n'aie esteit.

Sic (ut mendum unum arguam) unam eamdemque vocem *é* qua isti quinque versus terminantur (*duré*, *ramé*, *renouvelé*, *esté*) scriba triplici modo notavit (*dureit*, *ramer*, *renouveleir*).

Abundant talia levitatis et insconstantiae exempla. Nunc librarius *roisignors* (VIII, 2) scripsit, nunc autem *roisignoz*

(II, 2); hic *envoixiez* habes, illic *renvoixies*. Ut exempla burgundiani sermonis nonnulla uno ex carmine colligam, in VII poemate legitur : *drais de soie*, *lairge*, *mairs de monoie*, *neis* (*natus*), *ait* (*habet*), *lou*, *boen*. Litteram *x*, qua plerumque *ss* significatur, saepius adhibuit scriba ubi *s* desideres (*mauaixe*,*voixe*, *plux*...) Scripturae *malemant*, *essiant*, *sovant*,... et *joieusement*, *debonairement*... per vices subeunt [1].

Ergo philologicam artem pravissime ille exerceret qui carmina Nicolai bernensi codice tradita aliena ista veste non spoliaret, imo autem maxime qui ea poemata, quae prospero casu hunc falsum habitum nunquam induerunt, ad exemplar bernensis libri informaret. Fateor equidem : non aequo animo venusti poetae nostri vultum talibus artibus efferarem.

Quae cum ita essent, quid restabat nisi ut codicem quemdam eligerem, qui scripturae bonitate et constantia sibi praestantem inter ceteros manuscriptos adsereret locum? Quare cum nullum suppeteret fundamentum scripturae satis firmum et ab omni suspicione tutum, principem ducem quem sequerer elegi Parisinum codicem P^a signatum, sed ita tamen principem ut eum interdum deserere non dubitarem; nam :

1°) Parisini codicis librarius litteram *z* strictissime scriptitavit (*sanz*, *braz*, *bauz*, *joianz*, *desouz*...) Sed, ut supra animadvertimus verba *priz* et *amis* eumdem apud Nicolaum retulisse in cadendo sonum, ita scripturam *bras*, *sans*, *desous*... recepimus (cf. supra animadversionem V.)

2°) Quanquam in Parisino codice occurrunt formae *fere*, *fete*, *fet*, *sieuvré*.. , scripsimus *faire*, *faite*, *sieuvrai*... (Vide supra animadversionem IV.)

3°) Promiscue adhibuit Parisini ms. librarius, ut apud aequales fieri solebat, scripturas *o*, *u*, *ou* : *coume*, *mounoie*, *gounele*,

1. Cf. apud Wackernagel, *op. laud.*, de hoc codice plures animadversiones.

oïr, *coloré*. Nunc *courtoisie* scripsit, nunc autem *cortoisie*, *cortoise*; nunc *atout*, *tout*, nunc *toz jors*; alias *doutez*, alias *volez*; modo *trouver*, modo *voloit;* modo *vous*, interdum autem *vos*; interim *amour*, interim *amors*, *amoreusement*. Cum autem Nicolaus verba *amor*, *flor*... : *or*, in versuum clausulis consociaverit, expedit simplicissimam scripturam *o* recipere.

4°) Cum summa temperantia necnon laudabili in geminandis litteris usus sit scriba *(pucele*, *sautele*, *bouchete...)*, nec sibi tamen satis constantem se praebuerit (*guerredonné*, *ville*...), duplicatas litteras rejeci omnes.

5°) Formas *chapiau*, *biau*, scribae nostro suetas, repudiavi (confer supra animadversionem VII.)

His adhibitis temperamentis, scripturam codicis parisini P^a^ constanter retinui (*Deus*, *vueil*, *au*, *du*, etc...).

Sic orthographiae rationem institui, non tutissimam quidem, quae tamen vel Nicolai ipsius consuetudini, vel scripturae unius codicis ejusdemque boni satis consentanea esse videatur. Etsi seduliter curaverim ut hujusce editionis orthographia sibi quam constantissime consentiret, tamen non plures vitavi maculas « quas incuria fudit ». Atqui, cum nihil antiquius haberem quam scripturae tertio decimo saeculo usitatae imaginem quamdam reddere, nonne propria est hujus scripturae varietas et ingenua libertas? Is quidem mos incessit ut, in operibus medii aevi critice edendis, iisdem orthographicis conventis affixi stent eruditi, eumdemque pactum ab initio usque ad finem castissime servent. Isti consuetudini, quanquam, ut opinor, rigidiori, libenter obsecutus sum. Si tamen accidit ut vocabulum unum et idem diversis modis scriberem, hoc solatio facillime utar quod praeter aequum et bonum inflexibili normae vetera vocabula subjicimus recentiores, priscae libertati assueta. Boni editoris partes esse arbitror similitudinem diligentis cujusdam medii aevi scribae referre, sanis quidem scribendi regulis assueti, non tamen adstricti.

CAPUT SEPTIMUM

De arte metrica apud Nicolaum.

Indicibus singulis carminibus praemissis metra poetae nostro sueta descripsimus. Hic autem subjecta commentatione nonnulla advertere satis habemus, quae apud gallicos poetas, sive priscos, sive recentiores, rarius occurrunt.

I. Oscitanter et incuriose saepius egit Nicolaus in versibus per consonantes clausulas copulandis, sive binos versus uno eodemque vocabulo bis repetito consociavit (*Trestote ma* vie — *Menrai bone* vie, V, 21-2; — *Dous Deus, et c'*or — *fussé je* or — *Amis a tel damoisele*, III, 18-9), seu non plane consonis syllabis usus ést (*plaist* : *ferai*, III, 34; — *voise* : *chastoie*, VII, 19; — *broutels* : *oisels* : *bel*, IX, 19-20; — *amis* : *departir*, X, 29; — *ostel* : *vielé; aquités* : *doné; comandés* : *volenté; vile* : *plie; franchise* : *aillie; cortoisie* : *pigne* : *sire*, XII).

Antiquioribus enim poetis qui primum lyrica Aquitaniae carmina imitati sunt licentia concessa erat in versuum exitu syllabas copulandi quae non parem redderent in cadendo sonum. Etenim quanquam Cono hanc licentiam sibi non permisit[1], hos Gualteri d'*Espinau*[2] locos conferre licet : *covoit* : *voloiz*, I, 12; — *felons* : *randon*, I,20; — *maindre* : *plainte*, I, 31; — *amesurez* : *bialté*, III, 27; *marris* : *traï*, VII, 21; *aprise*, *emprise* : *fenisse*, *obeisse*, XVIII, 18, 20; *jornal* : *cristals*, *esmals*. — Sic Hugo de Ociaco[3] : *bras* : *peçoia*, II, 135; *prez* : *aroter*,

1. De quo cf. P. Meyer, *Romania*, IX, 143, Wallensköld, *op. laud.*, p. 123, p. 130.
2. Brak. *Chans.*, p. 1-41.
3. Brak. *Chans.*, p. 54-64.

II, 184. — At lyricis, ut bene notum, « ultimas syllabas inter se plane consonas esse mox injunctum fuit, *assonantiamque* a prioribus nonnunquam usitatam genera tantum plebeiam rationem redolentia accepere. »

II. Hiatum interdum admisit poeta noster, legitimis quidem regulis obsecutus, quas Tobler[1] explicuit :

Et verdurë et broutel (IX, v. 19).
Sans faintisë et sans guiler (IV, v. 10).

III. Mirum aliquid legenti carmen I occursat, non omnino quidem insolens, rarum tamen, quod non satis, ut opinor, attenderunt eruditi.

Enimvero carmen quatuor similes strophas complectitur, ea lege informatas ut singulae strophae, quod ad numerum syllabarum uniuscujusque versus attinet, huic indici consentiant :

8, 8, 8, 4, 8, 4, 8, 4, 8, 4, 4, 5, 4, 5, 4, 5, 4, 5, 5.

Scilicet in unaquaque stropha versus primus, secundus, et tertius, ex necessitate octo syllabis constant, quartus autem ex necessitate quatuor, quintus ex necessitate octo syllabis constat, etc...

Quae cum ita sint, si duodecimum singularum stropharum versum respexeris, non sine admiratione quadam animadvertes hos versus in strophis I et IV sex syllabas habere :
Str. I, v. 11-12 : Une dancele — Avenant et molt bele...
Str. IV, v. 68-9 : Encor dognoie — En chantant meine joie....
in strophis autem II et III quinque syllabas praebere :
Str. II, v. 30-1 : Mes cuers sautele — Por la damoisele...
Str. III, v. 49-50 : Plus sui en joie — Que je ne soloie...

Quod quo pacto expedies? Num salus e conjectura petenda

1. Tobler, *Le vers français*, trad. Bruhl et Sudre, 1885, p. 70.

ita ut temeraria emendatione syllabam unam longioribus versibus subtrahas, vel brevioribus versibus addas? Imo contra, ut opinor, codicum lectiones retinendae.

Hoc enim attende : longiores versus (12, 69) a vocali ambo (*Avenant*, *En chantant*), breviores autem (v. 31-50) a consonanti ambo incipiunt (*Por la damoisele*, *Que je ne soloie*.)

Quid tum inde? Scilicet, nisi fallor, versus 11, 68 audaci et rarissima elisione subsequentem versum, ut ita dicam, superscandunt :

Une dancele͡-avenant et molt bele...
Encor dognoie͡-en chantant meine joie...

Quippe, cum carmen fidibus caneretur, idem fidium phthongus nunc ultimis syllabis vocabulorum *saute*-LE, *joi*-E, nunc autem primis syllabis vocabulorum A*venant*, EN *chantant* respondebat.

Alterum retulit Bartschius exemplum[1] : eo enim loco ubi, metrorum indici confisus, quatuor syllabas desideravisses, quinque offendes, quia versus proxime sequens a vocali incipit :

Vers l'ombre de l'ente
Ou ele estoit
Chevauchai une sente͡-a mult grant esploit.

Id est, ultima prioris versus syllaba eliditur vocali a qua subsequens incipit versus.

Haud aliter alius ejusdem Nicolai carminis locus enucleandus. Nam sextum decimum uniuscujusque strophae versum (v. 16, 35, 54, 73) consideranti et, ad fidem indicis metrorum, versum quinis syllabis constantem desideranti, contra spem adversantur in sexto decimo ultimae strophae versu (v. 73) sex syllabae :

1. B. *Rom.* I, 49, 19.

Si a grant joie — el vergier ou donoie;

Scilicet, ut supra vidimus, prior versus insolenti elisione in subsequentem versum transilit.

Atqui difficilis et scrupulosa quaestiuncula subit tertiam stropham consideranti, ubi versus sextus decimus (v. 54), quanquam a vocali incipiens, non sex, sed quinque numerat syllabas :

Je n'en prendroie — Avoir ne monoie.

Non video quomodo hujus rei rationem eruam, nisi acceperis hoc elidendi genus poetae licitum quidem, non autem injunctum fuisse, permisso ut cantor ultimam prioris versus syllabam ad libitum enuntiaret vel supprimeret.

IV. Carmen II Nicolai (*Molt m'anuie d'iver que tant a duré*) hendecasyllabis constat, quod insolitum versuum genus gallici poetae perraro, tum priores, tum recentiores, adhibuere.

Pleiados quidem nostrae poetas incesserat cupido hendecasyllabos in consuetudinem nostram inducendi : « Eia age, » sic Joachim Bellaius venturum poetam alloquitur, « in gallicam familiam adopta profluentes illos venustosque hendecasyllabos, Catullum vel Pontanum vel Johannem Secundum duces secutus, ita tamen duces ut, etiam si prosodiam neglexeris, numerum saltem syllabarum referas[1]. » Nec defecere apud Baifi aemulos qui, haec mandata adstricte exsecuti, ad imitationem versus sapphici minoris hendecasyllabos informarent, ea scilicet lege, ut nostro quoque gallico sermone, dipodia trochaica constarent et ordine logaœdico. Sic Rapinus hosce versus, strophae sapphicae instar, composuit :

Vōus quĭ lēs rūisseāux — d'Hĕlĭcōn frĕquēntez
Vōus quĭ lēs jārdīns — sŏlĭtāirĕs hāntez,
Ēt lĕ fōnd dĕs bōis — cŭrĭeux dĕ chōisir
L'ōmbre ĕt lĕ lōisir...

1. *Discours de la Deffence et illustr. de la l. franc.*, ed. Person, p. 118.

Brevi autem tempore, incepto irrito ita destitere poetae ut, Tobler, vir humanissimus, vix nonnullos apud recentiores collegerit hendecasyllabos, quibus quoque post quintam syllabam sit caesura.

Attamen vel in veterum lyricorum carminibus vel in plebeiis cantiunculis, haud rarissime hendecasyllabos deprehendes; de quibus satis improvide praeter consuetudinem Tobler scripsit : « Veteres lyrici hendecasyllabos sine caesura adhibuisse videntur... interdum, non autem semper, caesuram post septimam syllabam deprehendere licet[1]. » — Atqui, num unquam, quaeso, tulissent Galli, minoribus numeris assueti, versus tam longa syllabarum serie formatos, qui, nulla interposita pausa, ex uno ordine periodico constitissent?

Et revera, non ita res se habet : sive exempla a Bartsch[2], Jeanroy[3] et ab ipso Tobler congesta, sive Nicolai versus recognoveris, apparebit hendecasyllabos duobus hemistichiis constare, pausa inter se discretis, et necessariis legibus parere, quas Jeanroy princeps retexit :

Regula I. Hendecasyllabi caesuram post septimam syllabam habent. (7/4)

Exempla : Si me convient que je soie — en cest esté
Plus mignos et envoisiés — que n'ai esté.
(*Nic. Mus.* v. 9-10)

Hic aliquot versus habes, excerptos e carmine quodam, XV saeculo composito, quod rusticitatem redolet :

Mon ami, la nuit s'en va — et le jour vient :
Departir de nos amours — il nous convient ;
Baisons nous, acollons nous, — mon ami gent,
Comme font vrais amoureux, — secretement[4].

1. Tobler, *vom franz. Versbau*, p. 77, ss.
2. Bartsch, *Zts. f. rom. Philologie*, t. III.
3. Jeanroy, *Orig.*, p. 343.
4. G. Paris, *Chansons du XVe s.*, n° XXX.

Regula II. Quoties autem septima versus syllaba est paenultima paroxytoni vocabuli (bó-ne, toúte), ultima hujus vocabuli syllaba in secundum hemistichium incidit.

Exempla : Bele dame bele et blon — de l'a loé...
Or a mis en molt grant joi — e mon pensé [1]
(*Nic. Mus.*, v. 6, 10.)

Tertiam regulam posuit Jeanroy (*op. cit.*, p. 343), vel potius, ut opinor, finxit. Temere enim scripsit : « *Accidit ut syllaba insona, quae septimam acutamque versus syllabam proxime sequitur, in numero syllabarum, utpote supervacanea, non computetur.* » — Ergo, si ei credideris, eadem licentia lyricis poetis est concessa, qua epici utebantur.

Cujus mirae regulae non plus quam tria exempla memoravit, quamvis trecentos versus exploraverit, scilicet :

1) Las! por coi me fait la be(le) — tel mal sentir?...
(*Sch.* II, 6.)

2) Et si me diras a ce(le) — qui m'a traïs...
(B. *Rom.*, I, 52)

1. Huic hendecasyllabos dividendi rationi, quanquam miranda esse videtur, similes respondent, neque adeo insolentes, in decasyllabis caesurae (cf. Tobler, *vom fz. Versbau*, p. 73).

Quas libenter adhibuisse videtur poeta noster :

Fors la blonde — te, por cui je morrai... (VI, 7.)
Bele et blonde — te, je vos amerai... (VI, 17.)
En ceste bo — ne pensée serai... (VI, 21.)
Mais trop me tie — nent en mauvais delai .. (VI, 23.)
Qui plus s'abais — se plus est haitiés... (VIII, 12.)

Confer : Et quant il ju — e, si pert si son sen...
Valt mielz que to — tes les bones qui sont...
Qu'avec ma joi — e faillent mes chansons...
(Brak. *Chans.*, p. 90, v. 23; p. 119, v. 8).

Sic in altero decasyllaborum genere illo quod caesuram post sextam syllabam habet (6/4) :

Si n'ai appris mes ar — mes a porter...
Puis desloia les moi — nes par bonté...
(*Aiol*, ed. Raynaud, p. XVI.)

De his omnibus luculente Jeanroy disseruit. (*Orig.* p. 350.)

3) Tertium exemplum in carmine quod ipse primum typis mandavit (*Car me conseilliés, Jehans, se Dieus vos voit*[1]) Jeanroy animadvertit : quo autem versu, indicare omisit.

Cum tamen hoc poema perscrutanti nullus obversetur hendecasyllabus qui cum regula I vel II non plane consentiat, hoc tertium exemplum, utpote inane, diducere licebit. Numquid autem significant reliqui duo versus? Minime equidem. Imprudenter enim Jeanroy horum carminum editoribus (Bartsch et Scheler), confisus est : uterque enim, impositarum hendecasyllabis regularum ignarus, ratusque hosce locos scribarum temeritate mendis inquinatos fuisse, lectiones codicum, quanquam optimas, neglexit, ancipitesque suspiciones easdemque pravas in textum recepit. Si enim apparatum criticum a Schelerio instructum contuleris, animadvertes verbum *tel* a scriba non exaratum fuisse, sed ab editore textui additum fuisse; pari autem ratione, quod ad alterum versum spectat, in codice legitur *di* pro *diras*, quam pravam conjecturam Bartschius inique auguratus est. Hae sunt codicum lectiones :

Las! por coi me fait la be — le mal sentir?...
Et si me di a cele — qui m'a traïs[2]...

Cum eae lectiones regulis I et II plane conveniant, patet Jeanroy, dum tertiam legem excogitabat, aliquantulum somno indulsisse :

...quandoque bonus dormitat Homerus.

Omnes Nicolai versus alterutri legi respondent, tribus tamen exceptis (1, 11, 17), quos quidem, cum unico codice sint asservati eodemque naevis saepius corrupto, haud temere emendares.

1. Cf. G. Raynaud, *Bibliogr. des chans.*, n° 1775.
2. Hic caesuram habes quam lyricam dicunt. Cf. hunc Nicolai versum :
C'est bien drois que j'en face — sa volenté.

CAPUT OCTAVUM

De Nicolai carminum textu constituendo.

Poetae nostri quae supersunt carmina in septem codd. jam saepius descriptis distributa reperias, quos eruditi et bene de veteribus lyricis meriti Raynaldi[1] notis significavi : B^2, P^a, Pb^4 Pb^5, Pb^6, Pb^{12}, Pb^{17}.

Cum parum haberem editiones jam antea typis mandatas recognoscere, codices ipsos ut negligere levitatis, ita excutere religionis duxi : quare, ut auctoris mei poemata justo apparatu critico instruerem, vel in bernensi, vel in parisinis bibliothecis manuscriptos ipse expilavi, imo exscripsi[2].

Quibus autem codicibus unumquodque carmen sit asservatum, indicibus exposui singulis carminibus praemissis.

Cum autem quinque poemata (II, IV, V, IX, XI) uno codice tradita sint, nonnullis locis fortunae temeritate scribarumque negligentia mendis inquinatis, lectionem codicis retinui ubicumque aliqua ejus tolerabilem in modum interpretandae facultas esset; iis vero locis quos corruptos esse satis constaret, conjecturam aliquam, si certae vel probabiles emendationes inventae essent, in auctoris verba recipere quam falsam propagare lectionem malui; iis autem locis quibus utrum corrigendi an subtili explicatione enodandi essent,

1. G. Raynaud, *Bibliographie des chansonniers français*, 2 vol, 1884.

2. Unum tamen poema, scilicet undecimum (*Colins Musés, je me plaing d'une amor*), quod non in ipso codice bernensi recognoscere mihi licitum est, ad fidem editionis a Brakelmann curatae (*Archiv*, XLII, 247) typis mandavi, nisus nova collatione a *Groeber* et *von Liebinski* instituta (*Zts. f. rom. Phil. III*).

incertum, suspiciones textui subjicere cautius ac modestius duxi.

Imo, quatuor poematis duobus mss. servatis (III, VI, VII, VIII), animadversionibus nnonullis infra declaravi utrum ex eadem familia codices profecti esse viderentur necne.

Denique, cum carmina I, X, XII, pluribus mss. nobis sint tradita, monstrandum qua inseparabili connexione codices inter se conjungantur.

I. *Volés oïr muse Muset?...*

Tres codices (P^a, Pb^4, Pb^{17}) ex uno fonte exiisse e subsequentibus animadversionibus perspicies.

1) Etenim, primum primae strophae versum sic a trium codicum scribis exaratum

Volés oïr la muse Muset

cum primo ceterarum stropharum versu conferenti, apparet versum octo, non novem, syllabas habentem a poeta scriptum fuisse.

2) Exeunte prima stropha (v. 15), aliquid in omnibus codicibus desideratur, ut ceterarum stropharum dispositionem comparanti patebit :

STROPHA I.	STROPHA II.
Lectio codicum lacunosa :	*Lectio codicum pura* :
...Qui me rapele :	...Ele ot gonele
Vien ça............	De drap de Chastele
Si me viele	Qui restencele,
Ta muse, en chantant	Dous Deus! je l'aim tant
Tant mignotement.	Du cuer loiaument!

3) Alius autem locus hisce trium codicum monstris distortus est (v. 24-5) :

Pa : J'ai mis mon cuer en si bon cuer — Espris d'amors...

Pb[17] : J'ai mis mon cuer en si bon cors — Espris d'amors...
Pb[4] : Versus omisit.

Unde satis liquet hosce versus in communi quodam trium codicum archetypo jam naevo corruptos fuisse.

4) Ad has suspiciones accidit quod in tribus codd. hanc Nicolai cantionem unum et idem Jacobi *de Hesdin* carmen (sic incipiens : *Je chant comme desvez*) proxime subsequitur.

X. *En ceste note dirai...*

Quando trium codicum (Pa, Pb[4], Pb[17]) scribae Nicolai carmini idem carmen praeposuere (*Desconfortez, plains d'ire*) idemque carmen subjecerunt (*Quant mars commence et fevriers faut*), sane conjicies commune exemplar a trium codd. librariis exscriptum fuisse : itaque, isti animadversioni confiso versus 12, 13 abstergere licebit, similiter tribus mss. corruptos.

XII. *Sire cuens, j'ai vielé...*

Verisimillimis suspicionibus auguramur quatuor codices (Pb[4], Pb[6], Pb[17], Pa) ex uno archetypo pendere, ea tamen lege ut codices Pb[4], Pb[6], Pb[17], non autem codex Pa, ex uno interposito quodam manuscripto *z* profecti sint.

Nam, metricam hujus poematis dispositionem consideranti patet carmen e quatuor similibus strophis constare et e quinta stropha, dissimili ratione structa, quam hic negligere licebit. Porro necesse est strophas singulas huic eidem metrorum indici pariter respondere, scilicet ut iutque praebeant :

1) 4 versus 7 syllabas habentes voce *é* terminatos,

2) Versiculum unum 4 syllabas habentem voce *ie* terminatum,

3) 4 versus 7 syllabas habentes voce *ie* terminatos.

Hac tamen spreta lege,

1°) Quatuor codices versui quindecimo

Car talent ai, n'en doutés mie...

syllabam unam prave addidere;

2°) Quatuor codices versum septimum decimum

Quant j'i vois borse desgarnie

pari naevo vitiavere;

3°) Quatuor codices, uno eodemque versu omisso, stropham tertiam curtavere :

Ains me dit : Sire Engelé,
En quel terre avés esté,
Qui n'avés rien conquesté
. . . .
A val la vile?...

Ergo, e tribus istis locis conjicimus quatuor codices ex uno fonte fuisse profectos.


4°) Cum autem, septimo versu apud codices Pb^{4}, Pb^{6}, Pb^{17} in longum prave porrecto :

Ensi ne vos sievrai je mie...,

solus codex parisinus P^{a} rectam servaverit lectionem :

Ensi ne vos sieuvre mie...,

hoc διάγραμμα delineare expediet :



Cui srhemati confidentibus, carmini integritatem restituere licebit[1].

1. Quae omnia cum animadversionibus satis consentiunt, quas vir doctissimus E. Schwan de his codd. collegit (*Die afz. Liederhandschriften*, p. 87, sqq.) : cujus tamen librum comparare primum potui, cum haec jam typis mandata essent.

INDEX

OPERUM SAEPIUS ALLEGATORUM QUIBUSQUE NOTIS BREVITER DESIGNENTUR

Arch. — Archiv fur das studium der neueren Sprachen und Literaturen, hgg. von L. Herrig, t. XLIII-V.

B. *Rom.* — Bartsch, *Romanzen und Pastourellen*, Leipzig, 1870, in-8°.

Brak, *Chans.* — *Les plus anciens chansonniers français*, p. p. Jules Brakelmann, Paris, 1870-91.

H. L. — *Histoire littéraire de la France*, t. XXIII.

J. *Orig.* — *Les origines de la poésie lyrique en France au moyen âge*, par A. Jeanroy, Paris, 1889.

Maetzner. — E. Maetzner, *Altfranzösische Lieder*, Berlin, 1853.

Scheler 1, 2. — Scheler, *Trouvères belges du XIIe au XIVe siècle*, Bruxelles, 1876, 1879.

Verm. Beit. — Tobler, *Vermischte Beiträge zur französischen Grammatik*, Leipzig, 1886.

Wack. — Wackernagel, *Altfranzösische Lieder und Leiche* (1846).

APPENDIX

NICOLAI MUSETI QUAE SUPERSUNT CARMINUM EDITIO CRITICA

CARMEN I

VOLÉS OÏR MUSE MUSET ?

Hoc carmen servaverunt codices :

P^a (Ars. 5198, f° 238),
Pb^4 (B. N. 845, f° 116^a),
Pb^{17} (B, N. n. acq. 1050, f° 162^a).

Typis jam mandaverunt :

De la Borde, *Essai sur la musique ancienne*, II, 208,
Le Roux de Lincy, *Chants historiques*, I, 286,
Tarbé, *Chansonniers de Champagne*, p. 92,
Bartsch, *Romanzen und Pastourellen*, p. 98 (qui codicibus P^a et Pb^4 usus est).

Volés oïr muse *M*uset ?
En mai fut faite un matinet,
En un vergier flori, verdet,
Au point du jor,
Ou chantoient cil oiselet
Par grant baudor,
Et j'alai faire un chapelet
En la verdor.

VARIAE LECTIONES : *Hoc carmen Nicolao Museto codices adscripserunt omnes ; in omnibus musicen notatam reperies.* — V. 1, P^a volez oir la muse, Pb^4 voulez oir la muse, Pb^{17} la muse musete. — V. 2, Pb^4, Pb^{17} fu fete. — V. 4, P^a du iour, Pb^{17} dou ior. — V. 5, Pb^4 ou chantent (*Bartschius legit* eu chantent). — V, 7, P^a, Pb^4, ialai fere.

INDEX METRORUM. — Carmen e quatuor strophis constat, undevicenos versus singulis habentibus, et inter se paribus, quod ad numerum syllabarum

Je le fis bel, et cointe et net,
Et plain de flor.
Une dancele
Avenant et molt bele,
Gente pucele,
Bouchete riant,
Qui me rapele :
« Vien ça, me dist ele,
Si me viele
Ta muse, en chantant
Tant mignotement. »

*
* *

J'alai a li el praelet

V. 12, Pa mult bele. — V. 14, Pb17 bouche riant. — V. 16-17, Pa, Pb17 vien ca si uiele ta muse en chantant; Pb4 uien ca si me uiele ta muse en chantant. — V. 20, Pb17 Jala a li.

---

et consonantium vocum dispositionem attinet; nam huic schemati singulae respondent :

8 a, 8 a, 8 a, 4 b, 8 a, 4 b, 8 a, 4 b, 8 a, 4 b, 4 c, 5 c, 4 c, 5 d, 4 c, 5 c, 4 c, 5 d, 5 d.

Strophis I et II eaedem quatuor versuum clausulae conveniunt *et*, *or*, *ele*, *ant*; strophis autem III et IV eaedem consonae voces *é*, *i*, *oi*, *ir*. Vide supra, p. 81.

V. 1. — Pravam trium codicum lectionem (*la muse*) emendavi (v. supra, p. 81). Vocabulo *muse* non organa illa quae *musette* dicimus significavit poeta (vide v. 17, 21, 22) sed lepidam quamdam cantiunculam (cf. *muserie*, *amusette*).

V. 10. — *Un chapelet plain de flor*. Saepissime, ut bene notum, in medii aevi idylliis adolescentes et puellae coronas floribus nectunt :

Lonc un buisson esgardai :
Touse qui s'ombroie,
Faisoit un chapel de glai...

(B. *Rom.*, II, 10.)

Cf., B. *Rom.*, II, 29, 5 ; 52, 3 , 69, 7, etc...

V. 16. — Verba *me dist ele* supplevi. V. supra, p. 81.

A tot la viele et l'archet,
Si li ai chanté le muset
Par grant amor.
J'ai mis mon cuer en si bon get,
Espris d'amor,
Et quant je vi son chief blondet
Et sa color,
Et son gent cors amoreuset
Et si d'ator,
Mes cuers sautele
Por la damoisele;
Molt renovele
Ma joie sovent.
Ele ot gonele
De drap de Castele
Qui restencele...

V. 21, P^a atout, Pb^4 otout, Pb^{17} atout larchet. — V. 23, P^a par grant amour. — V. 24-25, P^a iai mis mon cuer en si bon cuer espris damors, Pb^4 *hos versus omisit*, Pb^{17} iai mis mon cuer en si bon cors espris damor. — V. 29, Pb^{17} et plain dator. — V. 30, *In tribus codicibus legitur* : mon cuer sautele. — V. 31, P^a pour. — V. 32, Pb^4, molt me renouuele. — V. 33, Pb^4, souuent. — V. 34, P^a gounele, Pb^4 gonnelle, Pb^{17} gonelle. — V. 35, Pb^4 drat de chastele. — V. 36, Pb^{17} qui restancele.

V. 24. — *J'ai mis mon cuer en si bon get*. Hunc locum in codd. corruptum Bartschius temere sic correxit :

J'ai mis mon cuer en si bon ret..

Difficillime autem legeres : *en si bon het* (= *hait*) (v. enim supra p. 67, animadversionem IV). Verbum *get* (compedes) valde incerta conjectura recepi. V. Godefroy, s. v. *giet* :

Tant sont d'Amours puissant li giez....
Amour le tient pris en ses giez...
(*Roman de la Rose.*)

Dous Deus, je l'aim tant,
Du cuer loiaument!

*
* *

Quant j'oi devant li vielé
Por avoir s'amor et son gré,
Ele m'a bien guerredoné,
Soie merci,
D'un besier a ma volenté,
Deus! que j'aim si!
Et autre chose m'a doné
Com son ami...
Que j'avoie tant desiré
Or m'est meri!

V. 37, P^a Pb^4 douz dex, Pb^{17} dous dieus iou. — V. 37, Pb^{17} dou'cuer. — V. 39, Pb^{16} uielle. — V. 40, P^a pour auoir samour. — V. 41, P^a elle... guerredonne. — V. 42, *in omnibus codd* : soe merci. — V. 43, Pb^{17} dun baisier ama [*sic*]. — V. 45, P^a ma donne; Pb^{17} *verba* ma done *omisit.* — V. 47, P^a, Pb^4 desirre.

V. 41-3. *Elle m'a bien guerredoné, soie merci, d'un besier...* — Intellige : « egregiam mihi (gratias ago!) curarum mercedem domina, basium scilicet unum, persolvit. » — Cf. Brak., *Chans.*, IV, v, 40. — Scripturam *soie*, non *soe*, recepi, quanquam codd. *soe* habent; vide enim infra, v. 51, *moie* : *monoie.*

V. 44. *Deus! que j'aim si!* — Hic obsoletam habes adverbii *si* usurpationem, ne apud veteres quidem scriptores frequentem. Cf. *Blondel*, Brak. *Chans.*, p. 155 :

Et chascuns qui la voit
La doit amer aussi.
Qu'est-ce, Deus! que je di?
Non feroit, ne porroit;
Nuls ne l'ameroit si!

V. 45-47. — Dubito utrum recte interpunxerim (= id quod tam ardenter appetieram nunc mihi tributum est), an potius sit legendum :

Et autre chose m'a doné
Com son ami,
Que j'avoie tant désiré :
Or m'est meri!

Plus sui en joie
Que je ne soloie,
Quant cele est moie
Que je tant desir.
Je n'en prendroie
Avoir ne monoie;
Por riens que voie
Ne m'en quier partir,
Ançois vueil morir.

⁂

Or a Colins Musés musé
Et s'a a devise chanté
Por la bele au vis coloré,
De cuer joli.
Maint bon morcel li a doné
Et departi,
Et de bon vin fort, a son gré,
Jel vos affi.
Ensi a son siecle mené
Jusques ici.
Encor donoie,
En chantant maine joie,
Molt se cointoie

V. 50, Pb^{17} que ne soloie. — V. 54, P^a, Pb^{17}, mounoie. — V. 55, P^a pour riens. — V. 56, P^a qier, Pb^4 ne men quier par (*sic*). — V. 57, Pb^{17} uueill. — V. 58, P^a ore a; *in tribus codicibus legitur* : colin muset. — V. 60, P^a pour. — V. 61, Pb^4 jolif. — V. 62, Pb^4 li ai doné. — V. 65: P^a, Pb^4, Pb^{17} gel; Pb^{17} afi. — V. 68, P^a, Pb^4 oncor; P^a, Pb^{17} dognoie, P^a, Pb^{17} dognoie.

V. 56. — Bartschius omnium codd. lectionem sic correxit : *et a sa devise chanté*, male.

Qu'Amors veut servir,
Si a grant joie,
El vergier ou donoie;
Bien se conroie,
Bon vin fait venir
Trestot a loisir.

V. 75, P^a, Pb^4 bon vin fet venir — V. 76, *In tribus codicibus legitur* : trestout.

CARMEN II

MOLT M'ANUIE D'IVER QUE TANT A DURÉ

Hoc carmen, unico bernensi codice asservatum (B^2, f° 150, v°) jam ediderunt :

Tarbé, *Chansonniers de Champagne*, p. 88.
Brakelmann, *Archiv*, vol. XLIII, p. 256.

Molt m'anuie d'iver que tant a duré
Que je ne voi rossignols en bruel ramé,
Et dès que je voi le tens renovelé,
Si me convient que je soie, en cest esté,
Plus mignos et envoisiés que n'ai esté.

*
* *

Bone dame bele et blonde l'a loé :
C'est bien drois que j'en fasse sa volenté,
Que j'avoie tot le cuer desesperé,
Par son dous comandement l'ai recovré ;
Or a mis en molt grant joie mon pensé.

*
* *

Ja de joie faire ne serai eschis,
Puis que ma dame le veut, a simple vis,

APPARATUS CRITICUS. — *In codicis margine legitur* : colins muzes. — V. 1, molt manue... ke tant ait dureit. — V. 2, Ke je... roisignoz.. ramer ; *Brakelmann male legit* : roisignor... ramei. — V. 3, lou tens renouueleir ; *Brakelmann male legit* : renouueleit. — V. 4, couient ke... esteit. — V. 5, plux mignos et enuoixiez ke naie esteit. — V. 6, belle et blonde lait loweit. — V. 7, ke ieu en faice sa uolenteit. — V. 8, ke... tout lou c. desespereit. — V. 9, per son doulz c. lay recoureit. — V. 10, or ait mis... mon penseir. — V. 11, iai de ioie. — V. 12, pues ke... ueult.

V. 1. — De horum versuum ratione supra satis diximus.
V. 2. — *Tant a duré que.* Conjunge vocabula : *tant que.*
V. 10. — Nullus tam attritus vulgatusque locus. Confer hosce Gualterii

Et j'i ai si por s'amor mon pensé mis
Que ne porroie trover, se m'est avis,
Dame de si grant valor ne de tel pris.

*
* *

Mesdisant ont tot le mont en mal point mis,
Qui li siecles n'est mais cortois ne jolis,
Et nonporcant qui seroit loials amis,
Qu'il ne fust fols ne vilains ne mal apris,
Cil porroit avoir grant joie a son devis.

*
* *

Sa beautés et sui vair ieus et ses dous ris
Me tienent mignot et gai ; plus sui jolis
Que je n'avoie ains esté, le vos plevis.
— C'est por la meillor qui soit jusqu'a Paris.

Apparatus criticus. V. 13, mon penseir. — V. 14, Ke ne poroie troueir. — V. 15, ne de teil prix. — V. 16, medixant ont tout lou mont. — V. 17, ke... n'est maix. — V. 18, ki seroit loiauls. — V. 19, kil ne. — V. 20, cil poroit — V. 21, sa biaulteis... et ces doulz ris. — V. 22, plus seux jolis. — V. 23, Ke ie... ains estei. — V. 24, la millor... iusca Parix.

---

d'*Espinau* versiculos (Brak., *Chans.*, XIV) :

Par son dolz comandement
Me sui a chanter enpris ;
Car toz estoie marris
Et plains d'ire et de torment.
Mais il covient nuit et jor
Moi et mon cuer senz retor
A ma dame et a Amor
Toz jors estre obedient.

CARMEN III

SOSPRIS SUI D'UNE AMORETE

Hoc poema duobus codicibus :
altero bernensi (B^2, f° 226, v°),
altero parisiensi (Pb^{12}, B. N. 20050, f° 78, r°),
traditum, ediderunt :

Jubinal, *Rapport à M. le Ministre de l'I. P. sur les mss. de Berne*, p. 50;
Tarbé, *Chansonniers de Champagne*, p. 81 ;
C. Hoffmann, *Sitzungsberichte der Akad. der Wiss. zu München*, 1867, t. 2, p. 520;
Brakelmann, *Archiv*, XLIII, p. 358 ;
Karl Bartsch, *Romanzen und Pastourellen*, 1870, p. 355.

Sospris sui d'une amorete
D'une jeune pucelete :
Bele est et blonde et blanchete,
Plus que n'est une erminete,
S'a la color vermeillete
Ensi comme une rosete.

*
* *

Itels estoit la pucele :
Fille est au roi de Tudele;

DISCREPANTIA SCRIPTURAE. *In margine codicis bernensis legitur : colins* muzes; *parisiensis autem incerto poetae carmen adscripsit. — Scriba codicis Pb^{12} directis ad regulam lineis chartam exaravit, quibus melos inscriberetur : quod non est perfectum. At omnes versus sub istis lineis scripti sunt : melos enim perpetuo variatum variato carmini conveniebat.* — V. 1, B^2 sospris seux, Pb^{12} amorette; *sic infra* : pucelette, blanchette, erminette, etc. —V. 2, B^2, Pb^{12} dune ione. — V. 4, B^2, plux ke. — V. 5, B^2 sait la color vermoillete. — V. 6, Pb^{12} plus que nest une rosette. — V. 7, B^2 iteile est la damoisele. — V. 8, Pb^{12} la fille au roi de tudele; B^2 fille est a roi de tudelle.

V. 8. — *Fille est au roi de Tudele.* — An lectio cod. parisiensis

Itels estoit la pucele,
La fille au roi de Tudele...

postponenda sit, incertum. At, nisi fallor, non pura similitudine et dicendi figura, ut codici bernensi placet, usus est Musetus; sed, vivido quodam et poetico mendacio cui totius carminis color, fictus scilicet et commenticius, plane consentit (cf. v. 57), se fabulosi regis filiam adamare simulavit.

D'un drap d'or qui reflambele
Ot robe fresche et novele,
Mantel, sorcot et gonele :
Molt sist bien a la danséle.

*
* *

En son chief sor
Ot chapel d'or
Qui reluist et restancele.
Safirs, rubis ot entor
Et mainte esmeraude bele.
Beaus Deus ! et c'or
Fussé jë or
Amis a tel damoisele !

*
* *

Sa ceinture fu de soie,
D'or et de pieres ovrée ;
Tos li cors li reflamboie
Si com fust enluminée.
Or me doinst Deus de li joie,
Qu'aillors nen ai ma pensée !

*
* *

V. 9, B^{2} dun draip dor ke restancele. — V. 10, B^{2} frexe et nouelle. — V. 12, B^{2} siet bien a la donselle, Pb^{12} donzele. — V. 15, Pb^{12} et estancele. — V. 16, B^{2} saiffirs rubis i ot entor, Pb^{12} saphirs rubiz i ot entor. — V. 17, B^{2} et maintes e. belle. — V. 17, Pb^{12} biaus deus. — V. 17-20, B^{2} et ui ke fuise ieu amins a la damoiselle. — V. 21, B^{2} sa seinture fut — V. 22, B^{2} de pieres oureis. — V. 23, Pb^{12} toz li cors ; B^{2} tous. — V. 24, B^{2} enlumineis, Pb^{11} ensi fut enluminee. — V. 26, Pb^{12} kaillors ne ai ma panseie, B^{2} kaillors.

V. 16. *Safirs, rubis ot entor.* — Mss. : *i ot entor.* Syllabam delevi unam, ut versus inter se pari structura consentirent.

J'esgardai
Son cors gai,
Qui tant me plaist et agrée.
J'en morrai,
Bien le sai,
Tant l'ai de cuer enamée !
Se Deu plaist,
Non ferai !
Ançois m'iert s'amors donée !

*
* *

En un trop bel vergier
La vi, cele matinée,

V. 27, B^2, jeu esg. — V. 29, B^2 ke trop me plaist ; Pb^{12} et agre. — V. 30, B^2 ien morai (*Hofmann insulse corrigit* : morirai !) ; Pb^{12} ie morrai. — V. 31, B^2 bien lou sai ; Pb^{12} lo sai. — V. 32, Pb^{12} enameie. — V. 33-4, B^2 non ferai se deu plaist. — V. 35, B^2 samor. — V. 36, B^2 en trop biaul uergier.

V. 34. — Non plane quidem consonant voces *plaist : ferai.* Cum autem saepius, ut supra vidimus, Musetus verba paululum dissonantia consociaverit, non falso, ut mihi videtur, versus divisi, nam stropha, ut opinor, hoc schemate exprimenda est : 3, 3, 7 — 3, 3, 7 — 3, 3, 7.

V. 35. — Eamdem lepidam, ingenuam et quasi puerilem affectuum conversionem in altero carmine repetivit Musetus (vide infra *En ceste note dirai*, v. 23). Confer hosce simillimos versus :

J'oi chascun dire et conter
K'il veult bien qu'Amors l'ocie ;
Maix ceu ne dirai je pas,
Ke morir ne veul je mie,
Ains ain muels coi ke nuls die,
Vivre et bien ameir
Et servir ma douce amie.

(Auboin de Sesane, *Wack.*, p. 23.)

V. 36. — *En un trop bel vergier*. Lectionem ms. B^2 postposui (*en trop biaul vergier*) : illic enim septenarii versus senarios alternis vicibus sequuntur.

Joer et solacier :
Ja par moi n'iert obliée :
Car bien sai, sans cuidier,
Ja si bele n'iert trovée.

*
* *

Lés un rosier s'est assise
La trés bele, la senée.
Ele resplent a devise
Com estoile a l'anjornée,
S'amors m'esprent et atise
Que ens el cuer m'est entrée.

*
* *

El resgarder m'obliai
Tant qu'ele s'en fu alée..
Deus ! tant mar la resgardai
Quant si tost m'est eschapée,
Que ja mais joie n'avrai,
Se par li ne m'est donée !

V. 38, B^2 iueir, Pb^{12} iuer. — V. 39, B^2 iai per moi. — V. 40, B^2 car bien cuidier (*scriba verba* bien sai *omisit*), Pb^{12} senz cuidier. — V. 41, B^2 iai si belle. — V. 42, B^2 leis un uergier est asise, Pb^{12} lez un rosier. — V. 43, B^2 la tres belle, Pb^{12} et la sennee. — V. 44, B^2, Pb^{12} resplant. — V. 46, B^2 samor manprant et atixe. — V. 47, B^2 ke ens ou cuer, Pb^{12} qui enz el cuer. — V. 48, B^2 a li resgardeir, Pb^{12} el regarder. — V. 49, B^2 kelle sen fut aleie. — V. 51, B^2 eschaipeie. — V. 52, B^2 jamaix. — V. 53, B^2 se per li ne mest doneie.

V. 45. *Elle resplent a devise — Com estoile a l'anjornée.* Quanta venustate in dominarum pulchritudine describenda pollerent poetae nostri jam supra notavimus. Hos versiculos conferre liceat :

Et si oil me font por voir
L'estoile jornal paroir.
(Gualt. d'*Espinau*, *Brak.*, *Chans.* XXI, 39.)

Car vostre cleir vis m'esclaire
Plus ke l'estoille jornalz.
(*Arch.* CIV.)

*
* *

Tantost com l'oi resgardée,
Bien cuidai qu'ele fust fée;
Ne lairoie por rien née
Qu'encor n'aille en sa contrée,
Tant que j'aie demandée
S'amor ou mes fins cuers bée.

*
* *

Et s'ele devient m'amie,
Ma grans joie iert assevie,
Ne je n'en prendroie mie
Le roiaume de Surie,
Car trop meine bone vie
Qui aime en tel seignorie.

*
* *

Deu pri qu'il me face aïe,
Que d'autre nen ai envie.

V. 54, B^2 lo esgardeie, Pb^{12} regardee. — V. 55, B^2 kelle fuist feie. — V. 56, Pb^{12} por riens. — V. 57, B^2 kaincor, Pb^{12} qencor. — V. 58, B^2 ke iaie demandeie. — V. 59, B^2 samors... beie. — V. 60, B^2 et celle. — V. 61, B^2 ma grant ioie iert aseuie, Pb^{12} granz ioie iert acomplie. — V. 62, B^2 ne ie nem penroie. — V. 63, B^2 le rouame, Pb^{12} lo roialme. — V. 64, B^2 trop moinne. — V. 65, B^2 Ki aimme teil signorie. — V. 66, B^2 kil men faice. — V. 67, Ke d'autre, Pb^{12} nen aie.

61. *Ma grans joie iert assevie.* Lectioni codicis parisiensis (*ma granz joie iert acomplie*) verbum *assevie* (*adsopire**), quod bernensis ms. retinuit, praetuli, quia rarius.

CARMEN IV

EN MAI, QUANT LI ROSSIGNOLET...

Hoc carmen, in unico codice conditum (Pb^{5}, B. N. 846, f° 52, v°), edidit Tarbé, *Chansonniers de Champagne*, p. 86.

En mai, quant li rossignolet
Chantent cler el vert boissonet,
Lors m'estuet faire un flajolet,
— Si le ferai d'un saucelet, —
Qu'il m'estuet d'amors flajoler
Et chapelet de flor porter,
Por moi deduire et deporter,
Qu'adès ne doit on pas muser.

*
* *

L'autrier, en mai, un matinet,
M'esveillerent li oiselet,
S'alai cuillir un saucelet,
Si en ai fait un flajolet.
Mais nus hons n'en peut flajoler,
S'il ne fait par tot a loer

APPARATUS CRITICUS. — *Melos in codice reperies.* — *Museti nomen in codicis margine non prior manus inseruit, sed, nostris temporibus, manus recentior.* — V. 1, 2, quant li rossignoz chante cler ou vert b. — V. 12, si en ai fait un fait flaiolet. — V. 13, mais nuns hons. — V. 14, s'il ne fait par tout loer.

INDEX METRORUM. — Quinque strophae, quae singulae constant ex octo versibus octo syllabas habentibus. Duo iidem versuum exitus (*et*, *er*) omnibus carminis versibus conveniunt et alternis vicibus catenati (aaaa bbbb) inter se consonant. Carmen quatuor octonariis et consonis versibus (bbbb) perficitur.

— V. 14. Verbum *a* (*faire a loer*) quod scriba omisit, facile adjeci.

En bel despendre et en amer
Sans faintisë et sans guiler.

*
* *

Gravier, cui je vi joliet,
Celui donrai mon chapelet :
De bel despendre s'entremet,
En lui nen a point de regret,
Et por ce li vueil je doner
Qu'il aime bruit et hutiner
Et aime de cuer sans fausser.
Ensi le convient il outrer.

*
* *

La damoisele au chief blondet

V. 16, sanz. — V. 20, en lui ne a point. — V. 21, li uuil ie. — V. 22, aimme. — V. 23, aimme de cuer sans fauser. — V. 24, couient.

— V. 16. De hiatu apud Musetum aliquid supra diximus. — Haec stropha priorem de integro renovat et inutiliter recantat. An Musetus utramque scripserit, valde incertum. Satis enim explorate perceptum habemus et cognitum quam saepe carmina illa, dum volabant « per ora virum », formam figuramque immutaverint : adeo ut, miro modo discrepantibus inter se codicum lectionibus, unum et idem carmen vix agnoscas. (Confer, exempli gratia, G. Huet, *une chanson de Gace Brulé*, *Etudes romanes déd. à M. G. Paris*, 1890.) Simile aliquid, nisi fallor, hic accidit : nempe, cantor quilibet, sive priscorum Museti versuum oblitus, sive quod melos cum quibusdam vocabulis parum congruebat, versus funditus refecit et reconcinnavit. Postea autem scribae, varios codices perlustranti, prisca stropha et recentior simul occurrerunt : qui neutram rejicere voluit, sed, cum utraque eadem venustate polleret, utramque transcripsit.

— V. 17. *Gravier*. Quis fuerit vir ille comis ac lepidus, Museti fortasse sodalis, cujus nomen in nullo poetarum catalogo reperias, nescimus.

V. 18. *Gravier cui je vi joliet, — Celui donrai mon chapelet.* — Mirum habes attractionis exemplum ; cf. Tobler (*Verm. Beit.*, p. 202) : li vins encressiez... desplest moult a cui le boit. (Barb. et Méon, *Fabliaux*, II, 200.) — Il plesent cui ne s'en apresse — Mes de près la plesence cesse. (*Rose*, 19508.)

